CANCELLARIA HISPANICA.

Adjecta sunt Acta publica,

Hoc est:

Scripta & Epistolæ authenticæ, è quibus partim infelicis belli in Germania partim Proscriptionis in Electorem Palatinum scopus præcipuus apparet.

Adjecti sunt sub finem FLORES SCOPPIANI, ex Classico belli Sacri.

FREISTADII.
ANNO M. D. C. XXII.

INDEX ACTORVM ET SCRIPTVRARVM,

quæ hoc opere continentur.

IV.

Secunda Resolutio Cæsaris D. Digbyo data.

V.

Cæsaris Epistola ad Marchionem Spinolam.

VI.

Cæsaris Epistola ad Infantem Hispaniarum.

VII.

Ducis Bavariæ Epistola ad Baronem Digbyum.

VIII.

Domini Digby ad Bavariæ Ducem Epistola.

IX.

Cæsaris Epistola ad Bavariæ Ducem.

X.

Cardinalis Ludovisij Epistola ad Nuncium Papalem, qui est Viennæ.

XI.

Comitis de Oniate, Legati Hispanici in aula Cæsaris, Romano Pontifici facta Propositio.

Nuncij

XII.

Nuncij Papalis Viennensis Epistola responsoria ad Cardinalis Lodouisij.

XIII.

Baronis Digby Epistola ad Cæsarem.

XIV.

Ducis Bavariæ Epistola ad Baronem Digbyum.

XV.

Cæsaris Epistola ad Baronem Digbyum.

XVI.

Cæsaris litteræ Fiduciariæ ad Regem Hispaniarum.

XVII.

Cæsaris Epistola ad Don Baltassarum Zunigam Italica.

XVIII.

Ad eundem prolixior Latina ejusdem Cæsaris, ad quam se prior illa refert.

XIX.

Post-scriptum Cæsaris ad eundem Don Balthassarum Zunigam.

X X.

Cæsaris Epistola ad Hyacinthum Casalensem, Capuccinum Monachum.

XXI.

Cæsaris Epistola ad Infantem Monialem.

XXII.

Cardinalis Lodovisij Epistola ad Nuncium Papalem, qui est Bruxellis.

XXIII.

Nuncij Papalis in aula Cæsarea I. Epistola ad Hyacinthum Monachum.

XXIV.

Ejusdem ad eundem altera Epistola.

XXV.

Ejusdem Epistola ad Nuncium Bruxellensem.

Cæsaris

XXVI.

Cesaris Epistola ad D. Digbyum.

XXVII.

Cardinalis Lodovisij Epistola ad Nuncium Papalem Bruxellensem.

XXVIII.

Archiepiscopi Moguntinensis Epistola ad Archiducem Leopoldum.

XXIX.

Memoriale Infanti Hispaniarum Bruxellis à Domino Digbyo exhibitum.

XXX.

Resolutio Infantis eidem data.

XXXI.

Epistola VVilhelmi Bavariæ Ducis ad Archiepiscopum Coloniensem, filium.

XXXII.

Episcopi Spirensis Epistolium ad Gonzalem Cordubam.

Com-

XXXIII.

Commissio Bavarica ad receptionem homagij in superiori Palatinatu.

XXXIV.

Formula Iuramenti in superiori Palatinatu præstiti.

VIVA

VIVA DEMONSTRATIO

Caussarum præsentis in Germania belli, religionis ergo suscepti.

CONSIDERATIO I.

SCOPUM unicum excitati in Germania infelicis civilis belli, & promulgatæ inimicæ proscriptionis in Fridericum Electorem Palatinum, hunc fuisse: Cum ut Romanensis Pontificia religio ubique locorum introducatur in Imperio, tum ut exstirpentur cuncti in universum Evangelici, evidentissima demonstratione evincitur. Hæretici enim illis omnes, quicunque sedem Romanam, & primatum Papæ non agnoscunt, sive illi Lutheri, sive Calvini odiosis nominibus traducuntur ab adversarijs. Scopus ille, etsi multis alijs documentis probari possit, tamen nunc luce meridiana clarius omnium oculis patet ex Actis publicis, & inprimis aliquot Epistolis, quæ nunc in manus hominum pervenerunt, & quarum *αὐτόγραφα*, qua summis, qua inferioris Ordinis hominibus visa recognitaque fuerunt, & in fideli custodia asservantur. Sic ut fides rei nullâ ratione in dubium vocari possit. Testis etiam est unicuique sua conscientia: & DEVS, qui *καρδιογνώστης* est, & opera hominum inspicit, non irridetur, nec falli potest. Ad scopum autem illum nullam magis expeditam viam esse judicarunt, tam in aula Romana, quam Cæsarea, quam si Electoratus Palatinus transferatur in Bavarum. Hoc Cæsaris ad Balthassarum Zunigam Epistola luculenter No. 18.

A osten-

ostendit, cum asserit, translationem illam toti imprimis imperio fore utilem, atque idcirco maxime esse necessariam, minimeque differendam. Toti Imperio: quia avulso Electoratu Palatino à communi Evangelicorum corpore, ut præcipuo illius membro, & translato in Ducem Bavariæ, Catholicæ Religionis acerrimum defensorem (quæ laus illi in dicta Epistola tribuitur) is statim, ut in universo Ducatu suo olim, & nuper Donawerdæ, (quæ Imperialis Ciuitas est, fecit, Papatum introducet. Atque adeo illius zeli singulare documentum dedit. Quod jam multis in locis Palatinatus Missæ Idololatria conspicitur: quod Iesuitis primarium quoddam templum Ambergæ concessit. Sic cum in superiori Palatinatu, Bohemiæ vicino, tum in inferiori ad Rhenum Papatu radices agente, facillime ille etiam in alias adjacentes Evangelicorum statuum regiones diffundetur. Imo, si Evangelici hoc tam triste exemplum in Electore, Palatino, qui, primus inter ipsos, & hactenus in Comitijs alijsque Conventibus publicis, Directoris partibus communi omnium consensu functus est, admittunt, tum nullum, amplius impedimentum superest, quin sub quocunque prætextu, (qui potentioribus nunquam deesse potest) mox hunc, mox alterum ex Evangelicis Statibus proscripturi atque eius ditiones in Romano-Catholicos translaturi sint. Hoc pacto paucorum annorum spatio totum Imperium sub Papæ obedientiam & jugum reduci potest. Et hoc fine sensuque asseritur, negotium illud translationis, quod vocant & tractant, universæ Germaniæ ab Hæreticorum machinis vindicandæ profuturum esse. Vtendum igitur divinitus concessa victoria ad exstirpandas seditiosas Hæreticorum factiones. Nec est, quod quis putet, solos hic Calvinianos peti. Dicitur quidem ab his factiones illas

potissi-

potiſſimum foveri. Sed non minus Lutheranos pro Hæreticis habent,& odio proſequuntur. Quod ſanè non diſſimulant, cum Epiſtola ad Zunigam non obſcure innuat: No. 18.
Saxoniæ Electorem fortè non æquo animo laturum tranſlationem Palatinatus in Bavarum, quod ex eo rem Catholicam nimium augeſcere vereri poſſit. Verum ut principia huius univerſalis ſcopi rectè percipiantur,illa omnia à Ieſuitarum inprimis doctrina&inſtitutione proficiſcuntur. Ne autem magna volumina in eam rem à Romanenſibus edita alicui evoluere, aut prolixè ex illis præcipua huc transſcribere neceſſe ſit, idcirco ex unico libro Caſparis Scioppij, Imperialis & Hiſpanici Conſiliarij, pauca excerpta ſubjunximus. Is enim veluti in Compendium, totam illam doctrinam in Claſſico belli Sacri Ticini (Superiorum ſcitu) edito,& quem librum ipſe gloriatur maximis Principibus,quibus legendum dederit,mirificè probatum fuiſſe, concluſit, quo Lutheranos potiſſimum vult perditos. Præcipuum illius fundamentum prorſus re & verbis idem, quod etiam dicta epiſtola ad Zunigam,ad evertẽdum Palatinum Electorem exprimit,verbis ex divino oraculo adductis: *Quia dimiſiſti virum dignum morte,erit anima tua pro anima illius.* Sic autem Ieſuitæ,illorumque aſſeclæ, S. Scriptura abuti ſolent,ut quæ in Veteri Teſtamento de Ethnicorum exciſione Deus diſertè mandaverat, illi ad Hæreticorum, hoc eſt, Orthodoxorum & Evangelicorum omnium exſtirpationem prava & impia collectione detorqueant, cum tamen in novo Teſtamento longè diverſa ſit ratio. Aliud enim exemplum nobis Chriſtus ipſe, aliud Apoſtoli dederunt, aliud Patres in primitiva Eccleſia, qui *ullius ſe miſcere morti* nefas eſſe duxerunt, ut eſt apud Gregorium Magnum. Nam illis prorſus incognita & inaudita Baroniana Hæreticos ma-

In Præfatione Claſſici ad Lectorem.

ctandi instituti. Sed non huic disquisitioni hic locus. Satis est, quod hæc ipsissima Prophetæ verba, quæ Epistola ad Zunigam adducit, hoc sensu & fine à Schioppio mutuata esse videntur. sanè ut quis conijcere possit, Schioppij Apostatæ operam, si nunc in aula Cæsarea præsens esset, in illius Epistolæ exaratione fuisse adhibitam. Satis est, quod adeò evidenter nunc patefactum est, hoc potissimum tempore initium infelicis in Germania ob translationem Palatinatus suscitati belli factum, ut cuncti ex Imperio exscindantur Hæretici, ut *viri digni morte*, & ut ubique locorum exaltetur & stabiliatur Romanensis superstitio. Quoties enim in Epistolis ad Zunigam & & alijs S.Fidei, & Romano-Catholicæ Religionis eo sensu ac scopo mentio? Iussus divinus, æterna Dei providentia, & nominis eius honor ac gloria obtenditur. Offensio numinis metuitur, si negligatur opportunitas ad religionem Catholicam propagandam concessa, & nisi fidei eam ob causam Bavaro datæ satisfiat. Impulsum à Deo se fuisse Imperator ait, ut Bavaro acerrimo religionis Catholicæ vindici ex insigni zelo Palatinatum jam olim ultro promiserit: idcirco tam præclara victoria potitum, ut ea in illum finem recte utatur. Nec respiciendum hic ad ullas rationes humanas, sed tantum in Deo confidendum, & opus alacriter audacterque aggrediendum esse. Digito veluti demonstratur illa memorabilis persecutio in Stiria & finitimis provincijs. Wilhelmus Senior Bavariæ Dux, Gehennæ cruciatus Electoribus Ecclesiasticis minatur, quod ad Saxoniæ Electorem plus æquo in translationis illo negotio respiciant. Pontificis etiam gravissimæ adhortationes hic accedunt: cuius quam magna apud illos autoritas. Prætereo hic cætera quæ in Cardinalis Lodovisij, & Nuncij Viennensis

Ex Classico Scioppij. cap. 18.

ſis eam in rem congeſta Epiſtolis. Legatus vero Hiſpanicus ſine circuitione in ſua ad ipſum Pontificem Propoſitione aſſeruit, hoc bellum geri adverſus Hæreticos, S. Matris Eccleſiæ hoſtes, & ſedis Romanæ inobedientes, unde eius continuationem ut neceſſariam Pontifex urgeat, Cæſar ad illam inclinet. In hunc etiam finem inſtituta nuper noua in quibuſdam Imperij locis Sodalitas, ſub Chriſtianæ defenſionis nomine. Sed nunc Deo ſit laus & gloria, evidenter apparet finis, ſcopus & ratio, Cur Electoratus Palatinus in Bavarum ſine mora transferri debeat. Non enim hic iuſtitiæ, aut libertatis Germanicæ ulla mentio. Vna cynoſura eſt, Religio, & Hæreticorum exſtirpatio. No. 11.

Sed hic duo præcipue conſideranda. Primo, proſcribendum Palatinum fuiſſe, ut Iuris aliquis color eſſet, ad finem & ſcopum illum Papatus promovendi, & Hæreticos exſtirpandi, citius obtinendum. Secundo, hoc fundamento poſito, & admiſſo, quod pro immobili architecti hujus tragœdiæ tenent, nullam eſſe omnino, quamvis juratam Cæſaris capitulationem, quam vocant, nullius effectus pacis religioſæ publicæque conſtitutionem, aut cætera Imperij Germanici vincula. Tertio, conſequenter nullam omnino Evangelicis ſecuritatem: quin quod hodie Palatino accidit, cras cuivis accidere poſſit. Sed plenius hæc deducentur alias, cum Deo, ſuo loco & tempore.

CONSIDERATIO II.

Conſiderandum eſt, quod hoc negotium de transferendo Palatinatu in Bavarum, Romanus Pontifex tractat. Is enim monachum Cappuccinum (quod Ieſui-

tis non ubique fides) ad illud perficiendum in Imperium & Hispanias ablegavit. Quid etiam Nuncij Papales varijs in locis à Papa in mandatis habeant, id clarissimè liquet cum ex Cardinalis Ludovisij, qui Romæ secundus
N°. 10 à Papa, tum ex Caroli Caraffæ, Nuncij Papalis, litteris.
22. 12. Nempe hæc funesta toti Germaniæ tragœdia diu Ro-
23. 24. mæ acta fuit, & non est necesse privatorum hominum
25. 27. familiares epistolas accersere in testimonium, quales Secreta Anhaltina Cancellaria (ut vocant) idque carptim & mala fide exhibet. Authentica & publica nunc acta loquuntur. Inter alia autem secreta hoc inprimis notandum hoc loco, Cur hactenus Palatinus Elector instinctu Pontificiorum ab Evangelicis quibusdam ad submissionem Cæsari præstandam impulsus sit. Nempe, ut etiamsi hoc fecerit, tamen ne liberi quidem ipsius aliquid ex patrimonio avito recipiant, quamvis Pontificiam religionem amplexi fuerint, ut diserte scribit Cardinalis
N°. 22. Ludovisius. Verum & quid Pontifex Romanus in Imperio Iuris, quid in Evangelicos Principes ac Status potestatis habet? Iamdudum eliminata est eius ex Imperio autoritas, nulla amplius iurisdictio. Cum Carolus V. imperio se abdicasset, idque Electorum consensu Ferdinandus eius frater, Romanus Rex, suscepisset, & Pontifex nescio quid difficultatis movisset, neglecta prorsus, vel potius explosa fuit inanis illius & ridicula oppositio. Nunc cum de columnis Imperij, maxime sæcularibus Electoratibus agitur, Pontificis interventio, imo iudicium & cognitio admittitur, non sine summo Imperij dedecore ac præiudicio. Nam Pontifex Palatinum sua sententia condemnat: & votum Electorale ab eo in Bavariæ Ducem transferendum censet, atque ab Imperatore
N°. 11. efflagitat. Et is quidem ei morem gerere omnibus modis

dis desiderat. Hoc enim diserte Comes de Ognate, Legatus Hispanicus, commemorat. Scimus quid de VII Electorum institutione, quid de Imperij Vicariatu illo vacante, quid de alijs Imperij Iuribus, Romani Pontifices olim sibi arrogaverint, & Pontificij adulatores Iuris Canonici Doctores quidam disputent. Scimus etiam, & caussas illius rei eventus nunc docet, quam litem ante paucos annos Christophorus Gewoldus, Bavaricus Consiliarius, de Palatinatus Electoratu scripto publice Ingolstadij edito, & nuper adeo sub exortos hos motus cum recognitione & augmento recuso, moverit. Verum si inauditum hoc exemplum admissum fuerit, quod incolumi Germaniæ libertate, salva justitia, & manente ulla tranquillitate publica fieri non potest, jam adeo vetus jugum Pontificium sibi denuo impositum, dulcissima patria nostra sentiet, Evangelici autem omnes ignaviam & torporem suum nimis sero agnoscent, & deplorabunt. Quid fiet Evangelicis in inferioris Saxoniæ circulo Episcopis, si in translatione Electoratus sæcularis tantum Pontifici Romano permittitur?

CONSIDERATIO III.

EX multis ijsque certis circumstantijs firmissime videtur colligi posse, factam Bavariæ Duci de Palatinatu promissionem, antequam Fridericus Elector Bohemiam ingressus, & Pragæ coronatus fuit. Sic autem etiam ex temporis ratione principalis scopus Religionis fit clarior & illustrior. Nam quæ postea acciderunt in Bohemia, & quæ hodieque cum clade & interitu tot millium hominum prorsus innocentium, tantopere exaggerantur ab illis, qui ab oppressorum fortuna ambitioni suæ patro-

ciniumi

cinium quærunt, causam profecto nullam dederunt ad illa consilia, quæ jamdiu ante inita & ad effectum ipsum perducta fuerunt. Occasio tantum diu quæsita ex Bohemiæ motu accessit, & hinc etiam prætextus ad colorandam violentiam. Promissionem autem Palatinatus Bavaro jamdudum, & illo tempore factam, uti diximus, ex eo liquet, quod in Epistola ad Zunigam disertè dicitur, Cæsarem jam olim hoc constitutum fixumque habuisse, & promissionem illam Bavaro à Cæsare tam coram & voce, quam scripto factam: atquè ex illa conventione, & post illam conventionem, Bavarum auxilia Cæsari promisisse. Hoc idem ex ipsa adeo Roma sæpius perscriptum fuit, (ubi Legatos & Agentes in rebus Bavarus eam ob causam continuo habuit,) quamuis multum hortante Pontifice, non tamen nisi post hanc de adipiscendo Palatinatu stipulationem solenniter Monachij factam, illum Imperatori suppetias spondere voluisse. Et sane verosimile hoc est vel maxime, quod in simili Domus Austriacæ vel etiam majori periculo, ante hoc tempus Bavarus, neque Rudolpho, neque Matthiæ, imo ne ipsi quidem ante fœdus initum Ferdinando suppetias tulit. Viva autem uoce Imperator Bavaro promittere Electoratum non potuit, nisi quando ipsi præsens fuit, quod factum sub autumnum, cum Francofurto post electionem in Romanum Regem Augustam venit, & inde cum Bavaro Monachium usque profectus fuit, ubi aliquot dies cum ipso transegit. Hoc insuper aperte confirmat intimus quidam Consiliarius Bavaricus, qui sub nomine Berchtoldi à Rauchenstein, in suo Constantino Peregrino Castigato, seu Rejectione Itineris Quadrimestris Bucquoy, nuper edita, (in qua de adorea Bavaro an Bucquoio ob victoriam Pragensem debita disceptatur) pagina

N°. 11.

pagina XIV. *Inter ipsum Cæsarem & Bavarum Monachij fœdus adversus rebelles certis legibus ictum fuisse*, diserte scribit, & Consiliarios, qui ex utraque parte adfuerunt, nominatim recenset. Inde paulo post Imperator in Austriam redijt, neque ex illo tempore, quod sciamus, Bavarum iterum vidit, aut ipsi loqui potuit. Verisimile igitur, fœdus illud tum initum, cum uterque Monachij fuerunt, quo tempore Comes Palatinus Elector nondum Rex Bohemiæ inauguratus fuit. Quidquid sit, & quocunque tempore hæc evenerint, fœdus certe factum fuit, ut Berchtholdus, qui adfuit, affirmat. Quod, an Capitulationi Cæsareæ consentaneum sit, alij considerent. Sed hoc secundo notandum est, & res ipsa docuit, & ex Epistolis Imperatoris ad Moguntinum, & Saxoniæ Electores, ad Albertum Archiducem, & Bavarum, Comitem item Zollerensem, & alijs constat, statim ab illo Principum congressu Monacensi de proscriptione Palatini cogitatum actumque, & Mulhusianum Conventum frustra postea in eam rem allegatum fuisse, expresse reclamante Electore Saxoniæ in literis ad Iohannem Palatinum datis. Illas scripturas veritatis studiosi Lectores haud gravatim inspiciant, rogamus. Mirabuntur tecta & involuta consilia, variosque & diversos prætextus, qui se invicem multis contradictionibus implicant. Quod magis patet ijs, qui Legati Hispanici, Comitis Ognatensis, Epistolam, Vienna tum etiam ad Albertum Archiducem scriptam, perlegerint. ex qua cognoscent, convenire solitos in eius domo intimos Cæsareos Consiliarios, & in ea, ipso præsidente, (& dirigente procul dubio,) Palatini proscriptionem conclusisse. Illum sane tanquam oraculo quodam in rebus maxime arduis consilia & assensum à se expectari velle, Nuncius Papalis

Articulo VI.

Sunt hæ Epistolæ editæ inter acta publica à Mich. Casp. Lundorfio Francofurti impressa pag. 444. 445. 446. 456. &c.

graphice describit in literis ad Cardinalem Lodovisium Hæc igitur cum ita acta fuerint, interim tamen illæ inter Electorem Palatinum & Bavariæ Ducem litteræ ultro citroque commearunt, quæ nuper singulari studio Monachij in lucem datæ, eum potissimum in finem, ut ita non tantum privatæ utilitatis cupiditas tegeretur, sed omnis etiam mali causa caputque Comiti Palatino adscriberetur. Omnibus enim modis Bavarus hoc egit, ut quod
N°. 24 maxime cuperet, alijs non innotesceret: Quamvis in litteris ad Cæsarem datis promissi fidem ob tot benemerita sua exposcat. & ipsi Hispani prætensiones ipsius ni-
N°. 12. mis exorbitantes judicent. Vt autem indignitas rei, dum sub specie boni publici privata duntaxat commoda quæsita fuerunt, eversione injusta innocentis, & bene de ipso
N°. 12. mereri studentis agnati eo magis occultaretur, variæ proscriptionis causæ in Palatinum quæsitæ, tam in litteris illis superius memoratis, quam in ipsa proscriptionis formula, quæ tamen nusquam sibi consentiunt, sed multis in rebus se mutuo elidunt. una autem & vera, prima & potissima caussa fuit, quæ in I. Consideratione à nobis demonstrata est, Religionis nempe Pontificiæ exaltatio, & Evangelicorum exstirpatio. Sunt enim hæc connexa; & unum ex altero necessario sequitur. Sed hanc causam in omni actione, cum Saxoniæ inprimis Electore, alijsque Principibus, Evangelicis, ex Pauli Windeccij, & Iesuitarum doctrina dissimulare necesse fuit, ut illi Palatini partibus desertis Pontificijs se jungerent. Nam ipse profecto Saxoniæ Elector non ita facile se moveri passus est, aut si eius consilia locum invenissent, injusta illa & tot nullitatibus obnoxia proscriptio præcipitata fuis-
V. ap. Lüdorf. pag. 446. set. Ex Cæsaris enim ad Albertum Archiducem, & Bavarum scriptis litteris Viennæ 1. Iulij Anno 1620. videre est,

Saxo-

Saxoniæ Electorem omnino ſuaſiſſe, ut antequam proſcriptionis fulmine emiſſo bellum contra Palatinum ſuſciperetur, ſolemnis Electorum conventus celebraretur. & additur ibi cauſſa, (an ex mente Saxoniæ Electoris, ipſe omnium optime novit,) ut eo melius apud ſuæ religionis ſocios ſe excuſare poſſet. Certe ex Comitis de Ognata ad Archiducem epiſtola, cujus ante facta fuit mentio, apparet, Saxoniæ Electorem, tum proteſtatum, ut ad illum conventum vocaretur etiam Elector Brandenburgicus, ſine cujus præſentia nullum concluſum Electorale fieri, præſertim in Collegam Electorem, rite poſſet. Sed omnia illa monita inſuper habita, poſtquam victoria Pragenſis vindictæ frena laxavit, & nullo ſervato Iuris ordine, contra expreſſiſſimam ſanctionem Capitulationis, *Articulo 36.* ſub prætextu plenitudinis poteſtatis proſcriptionis formula multoties aucta, præſertim ex actis Pragæ repertis, promulgata fuit. Id enim ex comparatione primæ conceptionis cum poſtrema ſtatim licet animadvertere.

Tertio conſiderandum, poſtquam jam pactis ſingularibus tranſlatio Palatinatus in Bavarum ſtipulata promiſſaque fuit, quod nihilominus ex eo tempore, & longo intervallo Bavariæ Dux Vlmæ Suevorum in tranſactione illa cum Vnitis ſanctiſſimis verbis inita, Palatinatum univerſum nominatim, & diſertis verbis comprehendit; ſine ulla exceptione, excluſa omni fraude, firmiſſime promittens, nullam vim à ſe aut ſocijs S. Ligæ illi metuendam aut expectandam eſſe, ut oſtendit tranſactionis illius formula. Quarto, quod etiamſi Dux Bavariæ ex ſæpius dicto fœdere & pactis conventis inveſtituram Palatinatus habuit, ut apparet ex Cæſaris ad Hyacinthum Monachum literis, *N°. 20* nihilominus tamen res tota ſemper tecta & ſtudioſiſſime

occultata fuerit, & varij colores infausti & exitiosi belli quæsiti, inprimis ac si tantum propter Mansfeldium Comitem expeditio in superiorem Palatinatum suscepta,
No. 7. quod & Cæsaris Bavarique epistolæ præ se ferunt, &
& 9. scripto prolixo in eum finem edito, & Consiliarijs Ambergensibus, Ordinibusque illius Provinciæ transmisso Bavarus cum exercitu propinquans contestatus est, cum tamen Mansfeldius, ut prætextum illum adimeret, suum militem ex illis locis omnino deduxisset. Quinto, quod in hodiernum diem, Cæsaris nomen & autoritas, pacisque publicæ in Imperio conservandæ studium prætexitur, cum tamen bellum ex bello seritur, Romæ, in Hispania & alibi fœdera tractantur, & tandem ad extremam desperationem injuste oppressis redactis, totum Imperium calamitatem irreparabilem conijcitur, tantum ut Bavaro in Palatinatus possessionem violenter intruso obtineatur scopus sæpe dictus. nimirum ut exstirpatis Hæreticis exaltetur Romanensis superstitio.

CONSIDERATIO IV.

SEd præter communem illum scopum, de quo jam sæpius, hic etiam peculiaris accedit, qui in postscripto
N. 19. ad Zunigam luculenter expressus, quod scilicet translato Palatinatu in Bavarum, & ita primario voto Euangelici Electoris ad Pontificium principem reducto, non tantum apex Imperialis dignitatis semper penes Romano-Catholicos permansurus, sed etiam hoc pacto omni ratione penes unicam domum Austriacam corona Romani Imperij æternatura sit. Ex quo vix dubitandum, in fœdere Monacensi ejusmodi conditiones insertas. Sed inspiciatur de negotio tanti momenti, Cæsaris jurata Capitu-

Capitulatio. Sparguntur in famosis quibusdam libellis in Palatinum Electorem atroces injuriæ ac calumniæ prorsus diabolicæ, ac si eiusmodi consilijs, de evehendo ad Imperij culmen alio quodam Principe, quam Austriaco, crimen læsæ maiestatis commisisset. Quod si crimen est, libertatem Germanici Imperij, & Electorum inprimis Principum, ex Iuris-jurandi religione, patriæque amore tueri ac defendere, tum sanè omnes Principes ac status Imperij viderint, quid de aurea Bulla, de Capitulatione Cæsarea, de alijs Legibus fundamentalibus brevi futurum sit. *Arti-culo 34.*

CONSIDERATIO V.

N°. 18.

Ex Epistola ad Zunigam, hoc quoque patefactum mysterium, semper judicasse Austriacos, Domus Austriacæ tam latè per orbem terrarum regnantis, (atque adeo Hispaniarum Regis, quod ex inductione ibi facta apparet) fundamenta esse in hac Germania. Necessario igitur, ubi est potentia Hispanica, ibi absolutus dominatus est: Vbi hic est, jacet Imperij libertas, sublata est dignitas & præeminentia Electorum, corpus universum Imperij uni membro, nempe Austriacæ Domui subjectum, ac veluti adscriptitium est. Quid hoc autem aliud, quam vim Imperij sibi firmare, imaginem antiquitatis Senatui relinquere, ut de Tiberio scribit Tacitus? Certè Episcopus Avernanus rem acu tetigit, cum ait, Hispanis inferiorem Palatinatum tenentibus, Imperatorem Germaniam, Hispanum Belgium facile in potestatem suam redacturos esse. *N°. 24.*

CONSIDERATIO VI.

HInc eſt, quod in re maximi momenti, nempe ubi de tranſlatione primarij Electoratus ſæcularis agitur, nullo juris ordine, ſed abſoluta poteſtate, affectatoque dominatu, exemplo antea nunquam audito hactenus proceſſum eſt. Leges fundamentales Imperij, Aurea Bulla, & Cæſarea Capitulatio, ſanciunt, ut præcipua Imperij membra, & baſes eius atque columnæ, Electores, maxime ſæculares, inconcuſſæ maneant. Cæſar ante electionem ſuam jurat, ſe Electores in ſuo ſtatu, dignitate ac præeminentia omnibus modis conſervaturum eſſe. In re ardua ſine Electorum conſilio & ſcitu nihil ſe agere velle. Nulli ex ſtatibus etiam infimo, nedum Electori primario, violentiam ullam inferre: aut alijs ut hoc faciant, permittere, ſub quocunque colore aut prætextu: Sed ſi vel ipſe, vel alij rem adverſus aliquem habuerint, hoſtilitate omni remota ordinario judicio experiundum eſt. Et ipſe Cæſar, ubi in cauſis privatis forum ſortiatur, cum in aurea Bulla, tum in antiquis Germanorum Legibus expreſſum eſt. Ne Comitatus quidem aut alia feuda ad Imperium devoluta alijs largiri poteſt. Atque hîc in primario & vetuſtiſſimo Electoratu, alij donando exercetur liberalitas. Non hic judicio aut legibus locus, non Electoralis Collegij Conſilium petitur, aut conſenſus expectatur. Sed Electores omnino prætereuntur. De Saxone vero (cui tamen zelus in conſtitutionibus Imperij conſervandis tribuitur) aperte oſtenditur, re non amplius integra, ſed jam confecta, nihil adverſi ab eo metuendum eſſe. Sanè Pontificius Nuncius Viennæ, magis hæc confirmans de Sereniſſimo Electore

Articulo Cap. 3. — *Articulo 39.* — *Articulo 25.* — *Articulo 28.* — *No. 25* — *No. 24, 25.*

Electore Saxoniæ adeo contemptim loquitur, ut noluerimus verba eius hic inserere. Tam nihili hæc causa ducitur, quam tamen summum Imperij, bellum nimirum ac pacem concernere, ne ipse quidem Cæsar diffitetur in prima Resolutione D. Baroni Dygbyo, Regis Magnæ Britanniæ Legato, data. Et tamen Electorum Collegium negligitur, paci bellum præfertur. Sic tota Respubl. Germanica conquassata, & compagibus suis dissoluta, ad certam ruinam impulsa, nisi Deus prohibet, brevi collapsura est. N°. 24 25.

CONSIDERATIO VII.

PORRO quod Imperio ejusque Columnis, Electoribus, inprimis noxium & præjudiciale est, Regis Hispaniarum consensus potissimum expetitur. Regis externi, in negotio, quod ipsum fundamentum Imperij tangit, an evertit? Quid hic tandem aliud expectandum, quam ut, quemadmodum de Regno Bohemiæ nuper factum, ita etiam de Imperij ipsius successione pacta cum Hispaniarum Rege ineantur? Certe ab hac translatione Palatinatus in Bavarum etiam Imperialis culminis certitudinem Domui Austriacæ in perpetuum firmari statuitur. N°. 19. sed ratam illam esse non posse, nisi assentiatur Rex Hispanus, & suis opibus viribusque hanc translationem defendat ac propugnet. Nolumus hic texere sequelas, quæ Imperij majestati, libertati ac saluti hinc timendæ. Vnicuiusque accuratior consideratio illas abunde suppeditabit ex fide erga patriam rem diligentius perpendenti. Imperator ab Electoribus Imperio, ceu tutor ac parens constituitur, præficitur. Huius igitur salus

ſalus & incolumitas ſuprema lex eſſe debet, aut mutatur in aliam formam Reſp. Columnis convulſis tota machina corruat, neceſſe eſt. Si externi Principis tutela opus, caput ipſum nimis imbecillum eſt. Diverſa etiam ſunt Cæſarum Imperijque Iura, & privatæ domus emolumenta & magnitudo. Sed hæc paucis tantum attigiſſe ſufficiat. Curioſi tamen etiam hoc animadvertant, ne Regis quidem Hiſpaniarum conſilium in hoc tranſlationis negotio à principio petitum, re adhuc integra, ſed facta jam promiſſione, & conceſſa inveſtitura Palatinatus Bavaro. tum enim primum perlata eſt res ad Regem Hiſpaniæ per Capuccinum, ut videre eſt ex Epiſtolio ad
Nº. 20. Hyacinthum. Hinc illa etiam ad ipſam Infantem diſſimulata, & ad Marchionem Spinolam, ut literæ ad
Nº. 5. illos ſcriptæ demonſtrant: Ne auxilijs Hiſpanicis inte-
6. rim carendum eſſet. Sic nempe ipſe Rex Hiſpaniarum, quamvis inſcius ſuis opibus & periculis Palatinatum Bavaro acquirere debet. Sed cur Pontifex Romanus huic illum malit accedere, quam Hiſpano, inquirant alij. An quia nimiam potentiam Hiſpani ipſe Pontifex metuit? Sed jam propoſita diviſione inter Hiſpanum & Bavarum religionis tantum Pontificiæ ſcopum obtinere cupiunt, ut liquet ex epiſtolis Nuncij Viennenſis.
Nº. 25.

CONSIDERATIO VIII.

Vidimus primarium ſcopum & finem in tranſlatione Palatinatus, propagationem videlicet Papatus, & Hæreticorum exſtirpationem. Videamus etiam nunc alios ſecundarios, ſed paucis. Nam multis hoc tempore & loco non licet. Primus igitur eſt, Securitas Domus Auſtriacæ, eo redacto inimico, ut illi amplius nocere nequeat.

nequeat. De pace & tranquillitate Imperij ejusque Ordinum publica licet actum sit, parum refert, modo privata vindicta suum cursum teneat, & Austriaca magnitudo servetur incolumis. Secundus scopus secundarius est: Quia cum Bavari ditiones antea Cæsaris ditionibus, veluti pro vallo contra Superioris Germaniæ Principes hæreticos objaceant, si ille utroque insuper Palatinatu potiatur, hoc vallum longè futurum erit fortius, non tantum Bohemiæ, sed etiam inferioris Germaniæ Principum respectu. Tertius, quod radice succisa, hoc est, Palatino fundirus everso, nihil ab illo amplius Belgicis provincijs sperandum sit. Quartus, ut hoc pacto Cæsar sumtus immensos, quos fecit, dum hæc bella gessit, vel recuperare, vel certè ditiones alias oppignoratas liberarare possit, ut videre est ex epistola Cæsaris ad Bavarum, & alijs aliorum litteris. Nam Bavarus Austriam superiorem sibi nexam facile liberabit, si Palatinatum retinere possit, & hæc quoque inter alias conditiones comprehensa in fœdere Monacensi, ut est verosimile. Notandum etiam hic obiter, ad liberationem Austriæ superioris à pignoris nexu ipsi adeo Pontifici Romano non tantum oblatum antichreseως in illa jus, si pretium pignorationis Bavaro solveret, sed in securitatem etiam majorem promissas Imperij contributiones, quidquid ex illis adhuc inter status est reliquum. Hæc enim omnia ex Cæsareanorum mente proponit Pontifici Legatus Hispanicus. No. 9. 10. 12. No. 11.

CONSIDERATIO IX.

CONsiderentur nunc etiam veræ causæ, ob quas Elector Palatinus in tantum odium incurrit, & cur

C pro-

proſcriptionis fulmine percuſſus fuerit. An labefactavit Imperij majeſtatem, ſtatum aut libertatem? An turbavit in Imperio pacem & tranquillitatem publicam? An aliquem ex Imperij Ordinibus ex ditione ſua ejecit? An opes privatas auxit cum damno Reipublicæ? Nihil tale reperies. Sed hoc duntaxat, Quod Domus Auſtriaca nullos inter Germaniæ Principes pertinaciores adverſarios Palatinis habuerit. Sic nempe majorum culpam luunt poſteri. Non autem Imperij, ſed Domus Auſtriacæ adverſarios Palatinos fuiſſe dicitur. quod probe conſiderandum eſt. Privata igitur odia tantum turbarum dederunt. Recenſentur quædam in Epiſtola ad Zunigam exempla, ſed

No. 18. revera parum apposite. Nam ſub Maximiliano lis Palatinis non cum Imperatore ſed Bavaris fuit, ut docet hiſtoria belli Bavarici. Carolo V. nullus Principum Germaniæ, quamvis magna cum jactura Domus Palatinæ maiora ſervitia Friderico II. Electore præſtitit. Ferdinandus I. & Rodolphus II. nihil unquam adverſi à Palatinis, ſed multa potius ſinceri cultus officia experti fuerunt. Inter Maximilianum verò II. & Fridericum III. tanta interceſſit omni tempore neceſſitudo, & amicitia, ut cum ille anno 1559. à patre ob hæreſews ſuſpicionem durius haberetur, ad ipſum veluti ad aſylum, caſu neceſſitatis, perfugere conſtituerit: Quod actis authenticis probari poteſt. Cum vero anno 1566. Auguſtæ vehementioribus quibuſdam nimium indulſiſſet, ſæpius hoc poſtea apud Fridericum deprecatus fuit. Hoc etiam Actis authenticis demonſtrari poteſt. Sed alterius iſta ſunt loci & temporis. Matthias ſanè Imperator ultimum defunctus, ſuam electionem Palatinæ Domui potiſſimum debuit. Sed quid multa? Non potentiæ Auſtriacæ unquam inviderunt Palatini, ſed plus ſemper ipſi Imperio, hujuſque incolu-

columitati ac libertati se debere professi sunt. Hinc privati nunc odij acerbitas. Imperium uni Domui obnoxium, & servitute adscriptum ferre non potuerunt. Hoc majestatis crimen, hæc causa proscriptionis. Cæteræ omnes causæ, non caussæ sed hostilitatis prætextus sunt. Larvam enim interceptæ, & nunc in lucem protractæ Epistolæ, simulatæ Iustitiæ detrahunt. Frustra igitur privata causa Bohemica cum Imperij Majestate & legibus de pace publica confunditur. Nam si dictæ Epistolæ accurate considerantur, liquido ex illis apparet, & superius demonstratum est, jamdudum, atque adeo ante litem adhuc de Regno Bohemiæ exortam, Monachij Bavaro à Cæsare Palatinatum ultro oblatum, & dictis condicionibus investituram illius concessum fuisse. Proscriptio vero Palatini, toto anno, & quod excurrit, elapso post cladem demum Pragensem promulgata, quamvis longo ante tempore præparata fuerit. In effectu itaque Elector Palatinus ditionibus suis in Bavarum collatis spoliatus ante, quam proscriptus. Pœna in illum statuta, ubi nullum delictum. De patrimonio, dignitate, ac statu ejus, inter alios conventum, antequam vocatus est ad judicium. Imo nunquam vocatus, nunquam auditus est. Causæ enim cognitioni nullus locus, ubi absolute pro arbitrio & privatæ vindictæ cupiditate res geritur. Vbi ex privata causa majestatis crimen publicum texitur. Proscriptio igitur hæc purus putus color est, & prætextus executionis ante judicium & sententiam factæ, ne translatio illa careret titulo, vel fuco potius, atque ita in omnium odium incurreret. Themistocles olim Iustitiæ sacrum facturus exclamasse dicitur: ô Dea, si quæ usquam es. Quid jam diceret?

CONSIDERATIO X.

SEd pacis etiam publicæ desiderium ubique fere inculcatur, ut tegatur belli religionis causa suscepti invidia. Plus autem valet, quod agitur, quam quod simulatè concipitur, gemente & tremente Germania. Potuit causa Bohemica vel amicabili tractatu componi, vel Iure legitimo decidi, quod utrumque Elector Palatinus semper expetijt, ut ex multis ipsius contestationibus liquet. Iuris etiam tramite finitam esse hanc controversiam Imperij sane propter casus futuros plurimum interest. Potuit denique illa vel armis finiri in ipsa Bohemia, ubi bellum cœptum. Verum enimvero non tantum illud ad Regni illius recuperationem continuandum, sed novum etiam ad Palatinatum Bavaro acquirendum incipiendum, & totum Imperium perturbandum fuit, ut promissis Monacensibus satisfieret, & Romano Pontifici, qui translationem Palatinatus urget: Simul ut extincta hæresi plantetur in Palatinatu religio Papalis: & tandem, ut hac ratione Imperium Romanum domui Austriacæ ad similitudinem Regni Bohemiæ, fiat hæreditarium. Hæc enim omnia tanquam in speculo in Epistolis subjectis intueri licet. Cum talia consilia sunt inita de transferendo Palatinatu, dubitari non potuit, ex ijs atrox & diuturnum bellum in Germania exoriturum, & vel ad posteros, etiam perpetuaturum esse. partim quod Evangelici Electores statusque Imperij translationem illam metu periculosissimæ consequentiæ nunquam æquo animo laturi (quod de Saxonicis Epistola ad Zunigam non
N°. 18. dissimulat,) partim quod Reges Magnæ Britanniæ & Daniæ, alijque vetustissimæ Palatinorum familiæ cognati Prin-

Principes minime permissuri essent, tam indignè spoliari antiquissimo patrimonio Electorem Principem, & tot innocentes eius liberos. Fratrem etiam Germanum injustissime suo quoque Ducatu exutum, & cæteros agnatos fere in eodem versari periculo. Sed audendũ fuit rejectis ejusmodi difficultatibus omnibus, & (ut in allegata Epistola scribitur) divinæ providentiæ, quam humanæ prudentiæ major habenda ratio. Ac si Deus ipse delectaretur injustitia. Igitur atrox ac crudele bellum in media Germania cœptum, introductus in Palatinatum ad Rhenum Marchio Spinola cum externo milite: homo Italus, inaudito exemplo in caput Germani Electoris Commissarius Cæsareus constitutus. Ludovicus Philippus Comes Palatinus, Dux Simmerensis, pupillus, absens spoliatus omni ditione sua: ita ut ne ad alimenta quidem teruncium ex illa percipiat. Eadem fortuna involuti alij etiam vicini Principes, Comites, & nonnullæ civitates Imperiales, viduæ etiam Electorales, & aliorum Principum, nobiles denique Imperij infiniti. vt de misera plebe, quæ rapinis exhausta stipem jam colligit, & devastata atque incendijs deformata florentissima Germaniæ parte, nihil dicamus. Et hæc quidem omnia contra ipsius Cæsaris, aliorumque, quas vocant, sincerationis vel securitatis literas. Interim Bavarus cum S. Ligæ exercitu, quasi contra Turcas ille paratus esset, semper occasioni intentus, tandem, insuper habita Vlmensi transactione, in utrumque Palatinatum involavit, & res in eum statum jam pervenit, ut hoc incendium totam Germaniam jam comprehenderit. Interim spe certæ pacis & restitutionis Palatinatus, Vniti divellendi, & ad arma ponenda persuadendi fuerunt. Sed S. Liga suum in hodiernum diem retinet exercitum sub Bavari ductu, ut

No. 11.

Hæc vide apud Lundorp. in Actis publicis, pag. 449. 450. 451. 452. &c.

Palatinatu oppresso alij etiam Status Evangelici paulo post in ordinem redigantur, ita ut ne liberi quidem illorum patrimonia amissa recuperaturi sint, nisi fiant Pontificij, ex consilio Cardinalis Lodovisij. Quid hic aliud, quam bellum ex bello metuendum, non nostra tantum ætate, sed etiam ex ossibus defunctorum, ab illorum posteris? Et quamvis hæc ita se habeant, tamen nihil illis fere, nisi dulce pacis nomen in ore. Litteræ adeo Cæsaris ad
N°. 26 Dominum Digbyum 27. Octob. A. 1621 Viennæ scriptæ hoc exprimunt, cum paulo ante, nimirum XV. ejusdem mensis illæ in Hispaniam Epistolæ assertioni posteriori è diametro contrariæ exaratæ fuerint. Non minus ardens
N°. 7. pacis studium præ se fert Bavarus in suis ad eundem Digbyum literis, quasi admodum invitus, tantum ut Cæsari obediat, hoc bellum gerat. Num quid igitur hic locum habet illud Prophetæ? *Sanabant contritiones filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes, Pax, Pax, cum non erat Pax.*

CONSIDERATIO XI.

COmmode etiam hic consideremus, quam insigniter Reges quidam & Principes sub spe promissæ pacis circumducti fuerint, qui metu alicujus exitiosæ conversionis in Orbe Christiano, maximè cum illo ipso tempore Sultanus Turcicus cum potentissimo exercitu in Poloniam moveret, apud Cæsarem tot Legationibus ac literis serio intercesserunt. Legantur Epistolæ illæ in Hispaniam scri-
N°. 13. ptæ, & conferantur cum responsis Baroni Digbyo datis. Comparentur cum verbis & pollicitis tristissimi rerum eventus. Facta enim fuit etiam certa induciarum spes in
N°. 4. utroque Palatinatu, & promissa in superiori Executionis suspensio, & bellum renovatum non iri, nisi tribus illud mensibus ante Regi M. Britanniæ denunciaretur. Asseruerunt

ruerunt

ruerunt etiam consiliarij Cæsaris Domino Digbyo sæpius, Bavarum à Cæsare nullam accepisse ulteriorem Commissionem pro banni executione, nec etiam accepturum esse. Sed nullo unquam tempore de continuatione belli diligentiora consilia habita, aut præparationes accuratiores ad illud facta. Simul Regi Hispaniarum per Zunigam denunciandum fuit, Cæsarem semel constituisse, translato in Bavarum Palatinatu, ut ijs, qui ejus restitutionem à N°. 11.
se importune flagitarent, spem omnem prorsus adimeret. Et quamvis in speciem aliud ad Infantem scriptum, atque N°. 6.
Legato Britannico communicatum, simul tamen eodemque tempore contrarium omnino illi mandatum, de non consentiendo inducias, sed bello potius persequendo, quod etiam Consalvo Cordubensi injunctum, transmissum fuit, quod fatetur Infans, in Responso Domino Digbyo Bruxellis tradito. N°. 30.

CONSIDERATIO XII.

OBservandum & considerandum ulterius, quomodo hæc conveniant. Non tantum in Resolutionib. Anglico Legato datis, Regis ipsius egregiæ virtutes, insignis animi moderatio, & amicitiæ sinceritas prædicantur, sed in literis etiam ad Infantem zelus Regis erga justitiam insignis valde celebratur. Sed quid in Epistola ad Zunigam simile? Quin potius in illa omnis Regis M. Britanniæ interpositio, omnis sponsio aperte reijcitur. Videsis illa verba: Spondebitne Angliæ Rex? At eadem religione, id est, eadem perfidia. Nam paulo ante dictum, nullam juramenti sanctitatem Calvinistis, quos vocant, esse. & ubi eadem religio Angliæ Regi tribuitur, ratio additur, quod ubi occasio patrādi sceleris detur, læsæ fidei prætextus facile obduci possit. Quid hic Rex ille sapientissimus?

Pulcrum

Pulcrum effatum eodem loco singulari fato adjectum legitur: *Qui credidit, contemnitur.*

CONSIDERATIO XIII.

VErum numquid majori respectu Lutheranos Principes, & inprimis Serenissimum Saxoniæ Electorem dignantur? Nihil minus. Post principia collocantur. Illi confecto negotio, & introducto per vim in Palatinatum Bavaro, atque simul Papatu late Iesuitarum opera diffuso, facile quiescent, nec idcirco bellum movebunt. Non sunt illi adeo zelotæ, uti olim majores ipsorum ob religionem Lutheranam, ut infinitam Lutheranorum multitudinem, quæ hodieque in utroque Palatinatu libere vixit, & suæ etiam confessionis exercitijs gavisa est, exstirpari, & mox tragœdiæ hujus postremam scenam sibi quoque paratam, iniquo animo admissuri sint. Hoc enim
N°. 18. Epistola ad Zunigam pro indubitato præsupponit, &
22. 25. Cardinalis Ludovisius similiter innuit: occupato semel Palatinatu nullas amplius difficultates metuendas esse. Episcopus autem Caraffa, Nuncius Viennæ, Saxonem omnino metuendum non esse affirmat, nec magni æstimandam ipsius potentiam. Cæterum in prolixa Epistola ad Zunigam, de Saxoniæ Electore peculiaris insuper ratio exprimitur. Nempe accusare nequit, quod in Electore Mauritio ipse probat. Atqui, ut alias circumstantias prætereamus, toto cœlo illæ res à translatione Palatinatus in Bavarum diversæ. Ioh. Fridericus Saxo Carolo V. status quæstionem movebat, pro Cæsare illum non habebat, sed tantum pro Carolo Gandavensi, illi in ipsa Germania, in causa publica, repudiata omni pacis oblatione, bellum inferebat. Hic Friderico Palatino Electo-

Electori lis privata tantum cum Cæsare fuit de Regno Bohemiæ: quales olim lites privatæ, & ex illis orta quandoque bella cum Imperatoribus sæpe fuerunt, citra majestatis aut feloniæ crimen. Et quidem in Bohemia bellum jam cœptum, diuque gestum, antequam Fridericus Rex electus. Sane Cæsaris ille autoritatem semper excepit, obedientiam obtulit, ad amicabiles tractatus, ad Ius provocavit. Iura Imperij & libertatem pro officio suo & fide illi debita tueri voluit. Ioh. Fridericus Saxo jam diu ante bellum Schmalcaldicum à Carolo investituram Electoratus Saxoniæ acceperat, juramento fideli tatis illi se devinxerat; Fridericus Palatinus nullo adhuc juramento Ferdinando Imperatori, sed hic potius illi, ut Electori, Imperij nomine, sanctissimo Capitulationis sacramento obstrictus: & tamen Fridericus paratus est, conveniens obsequij jusjurandum præstare, modo per ipsum Cæsarem liceat. Ioh. Fridericus bello à Carolo captivus factus in ejus potestate fuit: Fridericus Palatinus nondum plane devictus, neque in captivitate, sed tantum nulliter proscriptus, & vi injusta hæreditarij sui patrimonij majori parte ejectus est. Eventus autem futuri in Dei manu sunt. Mauritius etiam Saxoniæ Dux peculiare quoddam jus suum prætendit: cum nobilitatis ac subditorum voluntate Electoratum adeptus, & religio Evangelica illa translatione nullum detrimentum passa est. Hic nullum Ius Bavarus, præsertim exclusis propinquioribus agnatis, prætendere potest: Nobiles & subditi utriusq; Palatinatus gemunt cum fletu & suspirijs, & Dei opem implorant, quod ad sacramenta contra conscientiam suam præstanda adiguntur, quod superstitio papalis & idololatria in Palatinatum introducitur. Io. Fridericus Saxo ipsemet retenta magna regionum suarum

D parte,

parte, quod reliquum fuit, solemni renunciatione patrueli suo cessit. Sed hic Palatino liberisque suis, & agnatis, fratri adeo germano, matri, & sororibus, cuncta bona ereptum eunt, & vitam summi Principis extremo fortunæ ictui obijciunt. Adde, quod Io. Friderici Saxonis filij, & frater Ernestus, ipsi quoque renunciarunt juri suo, ut ita facilius ad agnatum Mauritium Electoratus Saxoniæ pervenire potuerit. Hic frater Electoris injuste proscripti, & agnati de injuria toti familiæ facta conqueruntur, quod etiamsi legitime Fridericus Elector condemnatus fuisset, ipsis tamen Bavarus præferri non debeat, tam longinqua agnatione ipsis conjunctus, ut gradus vix computari possint. Verum enimvero, etiamsi in allegato Mauritij exemplo tanta rei dissimilitudo non esset conspicua, qualis jam ostensa est, non tamen in caûsa summi momenti, hoc præsertim exulceratissimo sæculo, & ubi concusso fere toto orbe Christiano à Turcica potentia extrema pericula formidanda sunt, exemplis, sed legibus judicandum esset, &, ut præclare alicubi Tacitus ait: *Non utendum est imperio, ubi legibus agi potest.* Hoc etiam constat, quod postquam Carolus V. fortunæ suæ contra libertatem Germaniæ nimium forte indulsisset, tum etiam ob casuum varietatem, utque Electorum & Imperij status magis magisque fulciretur, ab eo tempore, Capitulationem, quam vocant, Cæsaream, ab Electoribus Imperij multis modis auctam, illaque Electorum securitatem ac præeminentiam fortius stabilitam, nedum ut Electoratus primarius sæcularis, ex privato affectu, & intempestivo erga religionem zelo, legitimo Principi eripi, & alij tam facile donari possit. Non libet hic multis attexere, ipsum Carolum V. sæpe deplorasse rigorem illum suum, quo Albani potissimum impulsu in Io. Fridericum Saxonem tum usus. certe

ab eo

ab eo tempore de fastigio felicitatis suæ, quæ antea individua ipsi comes, dejectus est, uno velut impetu, ut constat ex historia illius sæculi. Quod si exempla amamus, Serenissimus Saxoniæ Elector etiam alterum Mauritij exemplum probaturus esset, cum ille libertatem Germanicam vindice manu asseruit, & pacem religionis Imperio paravit. Sed de his alij rectius & fusius alibi.

CONSIDERATIO XIV.

COnsiderandum, quibus artibus, tum Saxoniæ Elector, tum alij Evangelici in partes Pontificiorum pertracti fuerint. Persuasum enim ipsis ex fundamentis omnino falsis, Calvinistarum, quos odiose appellant, consilia eo pertinere, ut absque dubio Turcæ in Imperium aditus præparetur. Atqui inter confœderatos Hungaros, Bohemos, & cæteros, longe maxima pars Lutheranæ religioni addicta: tum ex ipsa confœderatione cum Hungaris inita contrarium potius manifeste apparet. ubi summa cum cura & sollicitudine prospectum est munimentis & propugnaculis Christianorum in Hungaria, ne in manus Turcarum veniant. In quæ etiam Bohemis incorporatisque Regno Bohemiæ provincijs maximi quotannis sumptus faciendi ex illis pactis conventis, ut ita urbes & arces limitaneæ à Turcis securæ conservari possint. An igitur, qui hac sollicitudine probarunt fidem & constantiam suam Reipublicæ Christianæ, hoc egerunt, ut aditum facerent Turcis in Imperium? Cum anno 1618. bellum in Bohemos agitaretur, limitanea sane illa loca omni fere bellico instrumento spoliata, & quæ ad Turcarum depulsionem comparata magno ac diuturno sumptu fuerant, in miseros Bohemos usurpata meminimus. Legati autem Confœderatorum ad Portam

Articulo VI.

Ottomannicam nihil tale in mandatis habuerunt, quod non Reipublicæ Christianæ utile potius quam exitiosum esset. Sciunt hoc ipsi, qui Instructionum Legatis datarum exempla in manibus habent, quæ proferrent ac ederent homines curiosi proculdubio, ut multa alia parum candide & bona fide, si quid tale in illis reperissent, quod nunc per manifestam calumniam Calvinistis ex mero odio ita vocatis obijciunt. Nam Bethlemium & Turcas Fridericum Electorem Palatinum Cæsari hostes consciviss e, inque illum adhuc incitare, eadem facilitate negatur qua asseritur. Fuit enim Hungaris cum ipso bellum, antequam Fridericus Bohemiæ Rex electus fuit. Cum Turcis autem illum commercium habuisse unquam, in æternum probari non poterit. Quid quod Hungari Cæsareanos fecisse, quod hic Calvinianis imputatur, ostendunt, & & quidem Cæsarem Gallum ad Portam Ottomannicam Legatum, quædam in Hungaria loca Turcis ultro obtulisse, si ab amicitia Hungarorum discederent? Certe quæ Cardinalis Clefelius cum Turcicis Legatis Viennæ egerit, & quanta tum Hungariæ pars Turcis concessa fuerit, adhuc in recenti est memoria. Sed quid verbis opus est, ubi facta loquuntur? Quis Turcas in Imperium allicit magis, quam qui bello civili non necessario & inextricabili, quo Resp. Germanica carere potuisset, & debuisset, illam tam misere, tam crudeliter in intimis visceribus involuit, ut nunc est ante oculos? Cur Bavarus Ligistarũ exercitum non ad fines Imperij Turcici deduxit, si Turcæ à Calvinistis accersiti ante portas fuerunt, uti calumniantur? Certe ipse Imperator cum post cladem ad novam arcem acceptam ab Hungaris urgeretur, ipsius auxilia expetijt. Sed maluit ille sibi vigilare in proprium commodũ, & possessionem Palatinatus ex iniusta investitura obtentam invadere,

dere, atq; adeo totum Imperium in discrimen adducere, quam Turcicum periculum avertere. Sed hæc alibi fusius. Nunc hoc etiam obiter considerandum, quod in epistola N°.18. ad Zunigam memoratur, Lutheranos nempe non minoribus odijs in Calvinianos quam Catholicos ferri. Atqui alibi blandiuntur Lutheranis, etiam publicè in quibusdam nuper scriptis editis, quasi absque omni odio benè Lutheranis conveniret cum Romanensibus. Ipsi igitur animadvertunt Lutherani, quam sincere & tuto utantur juratis in Hæreticos omnes sine discrimine adversarijs. Scimus etiam hoc inculcari Lutheranis, conspirasse Calvinianos non minus in ipsorum, quam Catholicorum, perniciem. Sed evidens est calumnia, vel putidissimum potius mendacium. Deus, qui corda & renes probat, hoc novit, & ipsa refellit experientia. An vero minus periculi Lutheranis à Catholicis quam Calvinianis immineat, hoc scilicet executio, vel laniena potius Pragensis, nupera, & proscriptio tot ministrorum Lutheranorum ex Bohemia & incorporatis provincijs, liquido demonstrat. In Palatinatu superiori & inferiori major subditorum pars Lutherani sunt, liberum suæ religionis exercitium multis in locis habent, aut alibi ad illud accedere non prohibentur. an illi nunc à Bavarico vel Hispanico milite mitius tractantur quam Calvinistæ? An vicini alij Principes, Status, Nobiles, omnes ferè Lutherani, eodem incendio absorpti, privilegio confessionis Augustanæ tuti manserunt? Scopum principalem supra nobis excussum intuere, Flores Scioppianos examina, Windecij prognosticon dè exstirpandis hæreticis, & Iesuitarum cum gratia & privilegio consensuque Superiorum impressas Invectivas & Philippicas percurre, tum sanè tanquam in speculo tibi apparebit, quam turpiter, quam astute, Romanenses Lu-

theranorum simplicitate abutantur. Vlyssis à Polyphemo oblato privilegio decipiuntur, ultimum devorandi, misere tamen devorandi. Imo jam nunc quotidie devorantur.

Tantum relligio potuit suadere malorum.

CONSIDERATIO XV.

SEd ne hoc quidem præteriri potest, quo minus consideretur, quanta cum cupiditate vindictæ, quanta odij acerbitate agatur contra Palatinum Electorem, & quibus ille calumnijs tantum non obruatur. Sit justæ indignationi locus, & mereatur illa in tanta calamitate veniam. Nam ubi adeo turbidi affectus regnant, ecquis esse sinceræ justitiæ locus potest? Illius tamen velo proscriptionis iniquitas obducitur, & judicis partes gerit, qui est propria confessione sua infensissimus hostis. Virum dignum morte Palatinum esse, Epistola ad Zunigam pronunciat, ex divino oraculo. Iacere illum apud Hollandos exulem; proprijs ferme ditionibus exutum, extremum ictum fortunæ præstolari. Torpentem & semiaminem colubrum appellat, victum, jacentem hostem. Semel illum famam prostituisse, nullam juramenti sanctitatem revereri. Cui infamiæ etiam M. Britanniæ Regis honor involvitur. Eo redigendum esse inimicum, ne amplius nocere possit, pro insigni ducitur politica. Sic fræna laxavit virulentis passionibus suis Epistolæ Latinæ ad Zunigam autor, quisquis ille fuit, sive Scioppius aliquis, sive Iesuita, sive Capuccinus, sive alius. Sed primum hoc cuncti sciunt, Calvinianorum (ita enim Orthodoxos vocant) institutionem nihil magis abhorrere, nihil magis execrari, quam perfidiam, & illa scelera, quæ nunc per calumniam in illos detorquentur. Hoc enim scripta ipsorum & vita hominum satis evincunt. Verum ex qua schola æquivocationum,

reten-

retentionum mentalium, & evaſionum, hoc eſt, mentiendi, & promiſſa fidemque violandi ars & praxis, ac denique ex peſtifera illa inſtitutione promanavit parricidiorum in Reges ac Principes immanitas? Nonne Ieſuitarum hæc eſt profeſſio toti mundo ut perſpecta, ita inviſa? Demonſtrarunt hoc jamdudum clariſſimis ſcriptis præſtantiſſimi viri Romano-Catholici, ut quæ in hac materia ſive Lutherani, ſive Calviniani, ita vulgo dicti, ſcripſerunt, non ſit opus adducere. Ne longius abeamus, aut ſuperioris & noſtri ſæculi exempla congeramus, de vulneratis & occiſis Regibus Galliæ, de toties per inſidias nefarie petitis glorioſiſſima Regina Eliſabetha, & utroque Principe Auraico, Wilhelmo & Mauritio, de horrenda machinatione pulveraria in Regem Iacobum, Reginam, Regios liberos, & Proceres totius Regni Angliæ: an non unica Scioppij Epitome, qua Claſſicum ſanguinolentum in cunctos Reges ac Principes Evangelicos cecinit, tum denique ſecretæ hæ Epiſtolæ, quas Deus nuper in lucem protraxit, illius Ieſuiticæ Inſtitutionis infallibile documentum exhibent? Fruſtra igitur laborant, qui hanc labem à ſe in Calvinianos devolvere ſtudent. In tota Anhaltina ſecreta Cancellaria nihil tale invenies. Nulla ejuſmodi myſteria, qualia infinita in paucis Epiſtolis illis prudenti viro & Reipublicæ Germanicæ amanti licet eruere. Quid ſi vel Monacenſe, vel Moguntinenſe Archivum in Hæreticorum manus fortuito caſu perveniret, aut ſcrinia Ieſuitarum liceret evolvere? Sed manum de tabula. Conſideret tamen candidus Lector, poſtquam inter Cæſarem & Bavarum Monachij fœdus illud ictum, poſtquam Inveſtitura Palatinatus Bavaro collata, inſcio toto Imperio, inſcio ipſo Hiſpaniarum Rege, nihilominus illum, ut ſupra quoque indicatum, Palatinatus

ſecuram

ſecuram pacem, Vlmenſi transactione, ſancte eſſe pollicitum. Nolumus hîc delabi in locum communem, nec comparationem actionum inſtituere, utra religio fidei & Iuramentorum ſanctitatem colat, aut negligat. Ipſi lapides loquentur, ſi hominibus majeſtatis metu ſilendum eſt.

Hoc vero heroicis animis omnino indignum, quod nunc fortunæ ſtatu elatis ſolemne, ut ſuperbe inſultent victis, & exprobrent lapſis infortunium. Quod libellis etiam famoſis ac picturis, nunc ubique fieri ſolet. Sed profecto DEVS vindicem oculum habet, & qui proſperiori rerum ſucceſſu nimis exultant, aut victoria ad tyrannidem abutuntur, felicitatis ſuæ ſponſorem inter mortales nullum habent, qui fallere nequeat. Neſcis enim, Quid ſerus veſper vehat. Deſperationis etiam aſperrimum telum eſt, & plerunque in vibrantem reſilit.

CONSIDERATIO XVI.

COnſiderandum diligenter, quod Eccleſiaſtici Principes in Imperio belli huius infelicis ſocij & participes, imo autores & incentores ſunt: Quod ex S. ſuæ Ligæ confœderatione omnia habent communia, atque ita in rei veritate non minus Electori Palatino hoſtes fuerunt, at-
N°. 2. que ipſe Spinola, aut Bavarus, qui Catholici exercitus Generalis, ut ipſe ſe appellat in Transactione Vlmenſi,
N°. 18. & alibi. Affirmat etiam Imperator in Epiſtola ad Zunigam, ipſos hoc bello ſibi adſtitiſſe, atque idcirco Eccleſiaſticis non ſine cauſa metuit, ne juſta ac neceſſaria vindicta de ipſis aliquando expetatur. Apparet etiam ex Bavarica Inſtructione Legato Bavari, Bartholomæo Rihelio, Iuris Licentiato, data, & ab ipſo 31. Octobr. anno præ-

præteriti, Moguntino Præſuli exhibita, ut illa eſt in multorum manibus, ex legibus fœderis directionem belli in inferiori Palatinatu Moguntino oblatam, ſtipendiorum annonæ, reliquarum neceſſitatum curam ipſi impoſitam. Prudenter. Nam ut Spinolæ & Cordubæ labore ſuccedaneo, ita Epiſcoporum ſumptu, pecunijs ac periculis Palatinatum acquirere Bavarus ſatagit. Fruſtra autem Moguntinus, Senex miles ſe excuſavit, ſera pœnitentia forte ductus. cum jam diu ante Marchionem Spinolam in Palatinatum, ipſe plenus ſpei, & ſuavis alienæ calamitatis ſpectator, adduxit, conſilio, & ope juvit, Vandemontium ad novam diverſionem faciendam perſuadendum eſſe cenſuit, & alia Cæſari parum ex ſincera mente ſuggeſſit, quæ legere licet in ipſius ad Vice-Cancellarium Vlmenſem Epiſtola. Nunc cum fructus belli deguſtare cœpit, Neutralitatis fuco ſetueri nititur. Spirenſis cuncta hoſtilia molitus eſt omni tempore horum motuum. Nunc oves ſuas deſerit bonus Epiſcopus, qui Hæreticos, ſi unum caput haberent, uno ictu tolleret, ut quis colligere poſſit ex ipſius ad Cordubenſem Epiſtolio. Sed nunc cum ſancti illi & pacifici Epiſcopi, ad deſperationem adactis ijs, quos iverunt perditum, viciſſim militum commercia experiuntur, Deos Deaſque exclamant, & de injurijs conqueruntur.

N°. 28.

N°. 32.

CONSIDERATIO XVII.

ARcanum non exiguum hoc quoque accurate conſiderandum, quod Electoris Palatini interitus eam quoque ob cauſam accelerandus, quod ea radice, ut Epiſtola ad Zunigam loquitur, non ſucciſa, rebelles Belgæ nunquam ad obſequium Regis Hiſpaniarum perduci poſſint. Perdito vero Palatino, & ejus provincijs ad

Rhenum Hispanis possidentibus, Cæsarem Germaniæ Regem vero Hispaniæ totius Belgij fore dominum, ut plenissime affirmat & pollicetur Hyacintho Monacho Episcopus Caraffa. Et hoc præcipuum telum est, quo hunc
N°. 22 Regem expugnare conantur. Nam & Cardinalis Lodovisius idem telum Nuncio Papali Bruxellis hærenti subministrat, ut eo similiter ad Infantem in partes pertrahendam acriter & strenue utatur. Idem quoque Nuncio, qui in Hispanijs, mandatum, & ille, qui Viennæ moratur, ad eundem scopum non defuit suo officio, ut patet ex ipsius Epistolis. Motuum autem Belgicorum originem ex Palatinatu alimenta sua traxisse, ut suaviter fingunt, ad injuriam Serenissimæ Domus Palatinæ
N°. 25 excogitatum est. Tyrannis Albani, Dionysiana longe crudelior, & atrocissima Procerum Belgarum supplicia contra datam fidem perpetrata, tam diuturni belli causa caputque. Ad illud exemplum facta nuper executio Pragensis, funesto & infelici procul dubio successu. Quantum vero ad causam Belgicam attinet, de illa sane longe aliter semper judicarunt defuncti laudatissimi Cæsares, Maximilianus, & Rudolphus, cunctique adeo totius Imperij Electores, Principes, & Status, quam nunc fieri videmus, & miramur. Maximilianus Imperator fratrem suum Archiducem Carolum pro pace Belgij populis injuste afflictis impetranda in Hispanias ablegavit. Matthias Archidux huius Imperatoris Antecessor, Caput & Gubernator Belgicorum Ordinum fuit, & causam ipsorum non tantum coram toto Imperio, maxime in Comitijs Wormatiensibus per Clariss. & Prudentissimum Virum, Philippum Marnixium S. Aldegondium, die VII. May Anno 1578. sed etiam armis contra Hispanos, acerrime defendit. Nunquam Imperium pro Rebelli-

Rebellibus Belgas habuit, nunquam in partes ire voluit. Ipsi Imperatores, & Status Imperij, aliquoties solemnes legationes ad utramque belligerantium partem pro pace inter illos conciliandа decreverunt, parum mehercle pro majestate Imperij, si Belgæ Rebelles essent. Res autem ipsa longe aliter ex actis publicis Imperij constat. Nunc aperte, vix post XII. annorum finitas inducias cœpto iterum fatali illo bello, pro Rebellibus declarantur Belgij potentissimi Ordines, qui confœderati sunt tot Regum ac Principum. Vt etiam illis incommodetur, præcipua Imperij columna, Elector Palatinus violenter de statu suo contra Imperij leges deijcitur. Hoc parum est, videbimus mox totam belli Belgici molem Imperio impositam, & paulatim Electores, Principes, ac Status Imperij, coactos iri, suis etiam armis & opibus libertatem Belgicarum provinciarum tanto sanguine partam prosequendi, extollendique Hispanorum potentiam, ut ita stabilita in visceribus intimis Germaniæ Monarchia Hispanica communis libertas, si quæ adhuc est reliqua, funditus & à radice succisa intereat. Nam in hac Germania Domus Hispano-Austriaca sua fundamenta habet, ut supra vidimus. Verum si Regis Hispaniarum partes adeo aperte sequi velimus, quomodo in posterum amplius Imperij nomine toties in Comitijs publicis ante aliquoties decreta Pacificationis Belgicæ actio reassumi poterit? Si bellum Belgicum sibi cum Hispanis commune esse Imperator ducit, ut ad plenam victoriam de rebellibus Belgis Hispanis conciliandam, Palatinatus oppressionem, vel potius Palatini eversionem adeo necessariam esse statuat, quomodo etiam reliqua Imperij membra vicina in tuto esse in futurum poterunt? An non hac ratione totum bellum Belgicum in Cor Imperij

mox penetraturum sit, boni cives & patriæ amantes judicent.

CONSIDERATIO XVIII.

No. 3. 4. HOc etiam arcanum minime prætereundum. Caussam Palatinatus totum Imperium, totius Imperij summam, pacem, nimirum, bellumque concernere, Cæsar in Resolutionibus Baroni Digbyo datis affirmat. Et ita sane est. Nam restituto Electoratu suo naturali & hæreditario Domino, pax in Imperio iterum speranda, ex translatione in Bavarum immortale bellum ad omnem posteritatem expectandum est. Verum speciose admodum prætenditur, Cæsarem non potuisse proprio motu & autoritate Regi Britanniarum de inducijs concedendis aut pace facienda satisfacere, sed partim ex Imperij legibus, partim ob periculorum communicationem, aliorum ipsum consilijs uti coactum, atque idcirco Ratisbonam quorundam Electorum conventum indixisse, ut est in 1. resolutione Domino Digbyo reddita. Exteri putabunt Imperij Comitia, de causa tanti momenti & de summa rerum totius Imperij habita. Capitulatio vero Cæsarea, Constitutiones Imperij, & Cameræ Imperialis ordinatio modum formamque præscribunt, quid tali casu Cæsarei sit officij, quæ partes Statuum. Si legibus Imperij agendum est, cur ab executione & vi armata initium hujus tragœdiæ factum, maxime contra innocentem Principem, pupillum, absentem, Quod ut omni juri, divino & humano, ita legibus Imperij maxime est contrarium. Cur Imperij Elector, antequam vocatus & auditus, atroci bello, sine forma judicij, petitus fuit? Cur tot pulcerrimæ regiones devastatæ, multa millia

millia innocentium hominum miserrime trucidata, aut ad summam egestatem perducta fuerunt? Si causa electionis Bohemicæ hoc factum, privata vindicta tantam calamitatem nunquam excusare poterit. Quod si Statuum Imperij consilia exquirenda sunt, an pacis tractationi locus dandus sit, Cur non multo magis, an tam funestum bellum concitare è Rep. futurum esset, Statuum Imperia sententia prius audita fuit? Cur Bavaro ultro & proprio motu Palatinatus promissus non admisso Electorum consilio? Quod si armis locus esse debet, tum constitutio de pace publica, & executionis ordinatio, quam vocant, certos gradus præscribit, formam & modum procedendi. Proscriptio cujuscunque Status, etiam inferioris subsellij, nunquam nisi legitima causæ cognitione rite finita fieri potest aut debet. Verum hæc omnia in causa Palatini neglecta, ut supra vidimus. Nunc cum proprio motu, sine Ordinum Consilio, imo rejectis potius multorum fidelissimis monitis, res adeo exulceratæ sunt, & commotum fere totum Imperium, quod sane fieri nulla ratio suasit, nullus prætextus excusat, aliorum Principum arbitrium expectare volunt. Sed qui sunt illi Electores & Principes, qui Ratisbonam jam semel atque iterum vocati fuerunt? Illi ipsi sunt, qui in bello Bohemico Friderici Palatini hostes fuerunt, & inter illos ipse adeo Bavarus, quorum signa & vexilla nunc etiam in utroque Palatinatu defixa conspiciuntur, qui Fridericum Palatinum majori parte Palatinatus vi & armis spoliarunt. Illi jam post factam executionem primum in ejus caput consultare & sententiam ferre debent. Sed profecto, licet Ethnicus, Christiane tamen locutus est, qui dixit, *Esse Deum, qui quæ homines agunt, auditque ac videt.*

CONSIDERATIO XIX.

QVamvis autem hæc omnia ita se habeant, ut vidimus, magna tamen Baroni Digbyo spes facta pacis & induciarum, facta eadem alijs quoque Regibus & Principibus, facta inprimis Vnitis, & hac spe illi persuasi, ut armis positis Electorem Palatinum ad pacem oblatam amplectendam serio adhortarentur, & missa simul ad Aulam Cæsaris insigni Legatione pacis negotium summo studio urgerent. Fecerunt idem non minori cura & labore Reges M. Britanniæ, & Daniæ, sed sinistro eventu, ut exitus docuit. Fridericus autem Elector Palatinus cunctas honestas æquasque pacis conditiones se accepturum multoties promiserat, atque apud illum dictorum Regum ac Principum autoritas plurimum poterat. Sed illo simulatæ pacis exquisitissimo artificio interim hoc obtentum, ut securitate instillata interpositoribus Palatinatus occupatio eo facilius procederet: ut Vniti dimisso exercitu non ita cito arma possent resumere: ut Angliæ, Daniæque Reges auxilia promissa non amplius judicarent esse necessaria: ut Hungari, Silesij, alij persuasi, factam jam cum Palatino per illius resignationem transactionem, sine mora & difficultate redirent ad obsequium: ut Marchio Iagerndorffius tandem & ipse succumberet: ut Tabor aliaque Bohemiæ loca sine labore recuperari possent. Sunt multæ aliæ utilitates, quæ ex ista pacis simulatione ad Confœderatos in Electoris Palatini oppressione maturanda redundarunt, de quibus hic pluribus dicendi locus non est.

CONSI-

CONSIDERATIO XX.

VT autem tota res adhuc fiat manifestior, considerabunt diligentiores multas quoque alias circumstantias, in toto hoc negotio de translatione Palatinatus inprimis notabiles. Legato Anglico induciæ in Palatinatu promissæ fuerant, & Cæsarem curaturum receperant, ut illis non minus Infans Hispaniarum, & Bavarus, assentirentur, quod etiam litteræ ad illam scriptæ præ se ferunt. Sed ex responsione Infantis Domino Digbyo Bruxellis data N°. 30
apparet, contrarium mandatum eodem prorsus tempore ad illam transmissum fuisse, & hoc etiam Cardinalis Ludovisius Nuncio Papali Bruxellas perscripsit. Interim N°. 22
Cæsar ad Infantem Legatum Britannicum remisit, hæc illum iterum ad Cæsarem. Cæsar in Bavarum moræ causas rejecit, hic in illius jussa. Ita in orbem res redijt. Bavarus vero de inducijs, multo minus de pace, unquam quid audire voluit, ne bolus ipsi promissus elaberetur ex faucibus. Sed ut res omnis ad alios, maxime Britanniæ Re- N°. 1
gem, tegeretur, à Cæsare impetravit Bavarus ad se gravissimas literas, quibus ex composito jubet, omni respectu seposito, & inducijs omnino insuper habitis, Palatinatum Superiorem suo nomine occupare, & subditos ad jurandum in Cæsaris verba redigere. Nam Bavarus semper metuit, ne forte à Cæsare aut Infante inducijs concessis, & pacis tractatu inito, Regis M. Britanniæ postulatis in restitutione Palatinatus Cæsar annueret, uti ex instructione Bavarici Legati Rihelij Moguntino exhibita evidenter liquet, Bavarum inducias omni tempore, etiam in inferiori Palatinatu, dissuasisse & impedivisse, Hispanosq; ad vim continuandam adhortatum fuisse. Confirmatur hęc illius inten-

N°.31. intentio animi etiam multo clarius ex Wilhelmi Ducis, patris, ad Colonienſem Archiepiſcopum filium Epiſtola, & quam ille quoque ſollicitus ſit, ne forte pax aliqua inter partes coëat. Sciebat enim uterque, Cæſarem in prima reſolutione Baroni Digbyo data expreſſe declaraſſe, ſe inclinare & diſpoſitum eſſe ad gratificandum
N°. 3. Regi M. Britanniæ, qui nihil magis quam Palatinatus reſtitutionem poſtulaverat. Igitur quamvis & ipſe Bavarus, verbis tantum pacis ſtudium, atque adeo pacis conditiones à Domino Digbyo ſingulatim fuiſſe propoſitas in litteris ad ipſum ſe optare ſimulaſſet: omnibus tamen modis, vi & clam pacis negotium diſturbavit, exercitus auxit, Tillium ad fines, ſuperioris Palatinatus invadendos miſit, tandem ipſe quoque in illum irruit. Verum omnia ſub nomine & velo autoritatis Cæſareæ & conſervandæ pacis publicæ artificioſe tecta. Nunc autem veritas rei Sole meridiano clarius elucet. Et tamen Cæſar
N°.15. in litteris ad Baronem Digbyum ſcriptis 12. Octobr. Anno 1621 ait, omiſſam tantiſper, quoad ſuperiorem Palatinatum, banni executionem fuiſſe, eo ipſo tempore, quo ille à Bavaro hoſtiliter occupatus fuit: & cum tribus tantum diebus poſt illæ litteræ in Hiſpaniam ſcriberentur. Hinc etiam in inferiori Palatinatu inducijs nullus amplius locus, quod res, in ſuperiori, Bavaro feliciter ceſiſſet, atque ideo ipſius exercitus in inferiorem quoque Palatinatum transferendus eſſet, quod evidentiſſime
N°.22 eventus rerum docuit, & teſtatur etiam Cardinalis Ludoviſij Epiſtola.

Eant nunc, qui Calvinianis ambiguam dubiamque fidem & fraudes tribuunt. Meritorium apud Papiſtas, cum Hæreticos decipiunt: Canones Conciliorum habent, quibus ſancitur, *Fidem Hæreticis datam ſervandam non*

non esse. Exempla majorum habent, & hodieque praxin illam exercent, simul luget fatalem Evangelicorum cæcitatem hæc ætas, & indignabitur posteritas. Bavarus per Legatum suum cum litteris fiduciarijs sua manu subscriptis, Regimini, ut appellant, in Palatinatu superiori pollicitus fuerat, si se provinciamque Cæsari dederent, cuncta se tam in Politicis quam Ecclesiasticis, priori statu, omnesque sub Iuramento Electori, naturali Domino antehac præstito, relicturum esse, & his alijsque pollicitationibus deditionem obtinuit, quæ etiam sub illa conditione facta fuit. Nihil minus autem, quam quod promissum, præstitum; sub prætextu, fines mandati Legatum excessisse. Ita Iesuitæ in ipsam primariam Vrbem Ambergam introducti, & Idololatricæ Missæ impia spectacula publice exhibita, subditis arma omnibus locis adempta: Iuramenta contra conscientiam in speciem, in verba Cæsaris, sed revera in utilitatem Bavari, ipsis extorta. Nec juvat eam in rem facta ad Baronem Digbyum excusatio, vel æquivocatio potius. Legantur enim & probe considerentur tum Cæsaris Commissio, tum ipsa juramenti formula. Conferantur autem illæ ceremoniæ cum Epistolis in Hispaniam scriptis: & clare apparebit veritas, quam tristis rerum eventus, stultorum etiam magister heu nimium in dies singulos, magis magisque comprobat. Etsi enim inter Cæsarem & Bavarum de transferendo in hunc Palatinatu jamdudum convenit, nihilque magis agitur, quam ut ad effectum plenissime negotium illud perducatur, nihilominus tamen Cæsarei nominis autoritas usurpatur. Sic cum Hæreticis agendum, & de statu suo illi vi & armis Ligistarum deijciendi, sed ita tamen, ac si cuncta pro officio Cæsareo fierent. Hinc Moguntinus in Responso Bavarico Legato Rihelio, 2. Nov. 1621.

No. 33. 34.

Aschaffenburgi, dato, Bavarum monet, ut sub nomine Cæsareo ille pergat cœpta perficere, in eaque omnes suas sociorumque vires ac facultates offert ac pollicetur,& tamen addit, se & illos,neque Bohemicæ, neque Palatinæ causæ immiscere voluisse, atque ita ab hostium invasione longo tempore tutos ipsos mansisse. Hic enim præcipuus, imò unicus simulatæ Vlmensis pacificationis scopus. Subtilissimum mehercle artificium. Ligistæ nolunt publice dicere & fateri,se in causa Bohemica vel Palatina in partibus esse. Interim Moguntinus ipse Marchionem Spinolam in Palatinatum sua manu induxit, re & consilio juvit, militem ad defensionem Palatinatus iturum transitu prohibere conatus est: Bavarus cum Ligistarum exercitu, Ligistarum stipendia merente (de quorum onere ipse Moguntinus in dicto Responso conqueritur) bellum in Bohemia gessit, superiorem Palatinatum occupavit, Ligistarum exercitum in inferiorem etiam Palatinatum transtulit, cum Hispanico milite conjunxit, Moguntinus ipse suas sociorumque opes promittit: Exercitus S. Ligæ totum Palatinatum miserrime in hodiernum diem affligit ac devastat, atque adeo alijs etiam Hæreticis ad communem omnium illorum exstirpationem imminet: Ligistæ nihilominus, pacifici omnino & Neutrales, ut Ecclesiasticos decet, causæ Bohemicæ aut Palatinæ se nunquam immiscuerunt. Spirensis Episcopatus in meditullio Palatinatus inferioris comprehensus est, redituum suorum majorem partem in ipso Palatinatu à subditis Electoralibus habet, ipse Episcopatus in hæreditaria tutela & protectione Palatinorum Principum ab antiquo, (qua tamen se Episcopi nuper de facto exemerunt) Episcopi ipsi Capellani Electorum, quidam etiam Cancellarij Heidelbergenses fuerunt: Elector Palatinus in locis & pagis Spiren-

Spirensib. multos homines proprios & regios, ut vocant, multa alia Iura superioritatis habet, nihilominus cum Generalis Anglicus Horatius Veerius pro militibus suis tantum hospitia & annonam in uno alterove pago Spirensi petijsset, rustici autem Verianos vi & armis excludere conati nonnihil multati fuissent, statim causa ruptarum induciarum ab Hispanis illi casui ascripta fuit. Sic etiam, cum Moguntinenses subditi ex vicinitate aliquid incommodi sensissent, statim querelæ per totum Imperium dispersæ sunt, Neutralem Principem hostiliter fuisse habitum. Ligistæ Electorem Sæcularem Imperij primarium de omni statu suo vi & armis deijciunt, avito patrimonio exuunt, cum exercitu suo hostiliter ejus terras occupant, devastant, cunctorum Hæreticorum, ut Evangelicos sine discrimine appellant, internecionem spirant ac promovent: Interim Neutrales esse volunt, Bohemicæ aut Palatinæ causæ se nunquam immiscuerunt. Sed justus est Dominus; ipsi jam incendij, cujus autores & faces sunt, flammam in sua etiam Domo sentiunt, quæ, nisi restituto in integrum Palatino Electoratu, suo legitimo & naturali domino nunquam extingui poterit. Quo etiam loco illorum res, & quam dulces bellorum fructus sint, Moguntinensis Responsio Bavarico Legato data evincit, cujus veluti epitome ad Archiducem N°.21. Leopoldum ab eodem scripta Epistola. Bavarus sane sub Cæsareæ autoritatis clypeo, sumptu Ligistarum, imo Hispanorum, etiam opera & opibus Palatinatum sibi acquisitum cupit. Sed quid Ecclesiasticis rependit? Mansfeldicum & suum militem, & hunc quidem multorum mensium stipendia etiam cum seditionis periculo flagitantem, onere solutionis à se in Episcopos devoluto, illis transmisit, ut cum ruina ditio-

num Ecclesiasticarum autores harum turbarum dignas pœnas luant. Sed de his satis. Specialiter tamen hæc quoque consideranda, Bavariæ Ducem ubique locorum gloriari, se pro singulari necessitudine Palatinum ab acceptatione coronæ Bohemicæ serio dehortatum, & ut monitis suis adeo fidelibus neglectis bellum ipsi moveret, obedientia Cæsari debita coactum fuisse. In eam rem etiam nuper Monachij editæ inter Palatinum Electorem & Bavarum ultro citroque missæ Epistolæ. Tam anxie enim in causa indecora & injusta colores quæruntur, quibus oculis hominum præstigias faciant, qui ambitionem animi, & privatæ rei cupiditatem sanguinis Iuri prælatam indignantur. Sed illo ipso tempore, quo Epistolæ illæ dehortatoriæ scriptæ, Bavarus jam, ut supra deduximus, translationis illo negotio semper dissimulato, Palatinatus tamen promissionem à Cæsare habuisse videtur. Deinde cur Rudolpho, & Matthiæ Imperatoribus, cum in difficultatibus non minoribus versarentur, & illi quidem à fratre germano corona Bohemica vi ex capite dejecta fuisset, non eandem obedientiam & fidem præstitit? In promptu causa est. Ab illis Palatinatum sperare non potuit. Certe ne Ferdinando quidem auxilia promittere voluit ante fœdus Monachij ictum illis conditionibus, quas res ipsa & eventus nunc in lucem tam liquidò pertraxit.

FERDI-

FERDINANDI II.

No. 1.

ROMANORVM IMPERATORIS

Jmperij Electoribus Francofurti Iurejurando confirmata traditaque Capitulatio.

Sub dato 28. Aug. A. C. M. DC. XIX.

NOS FERDINANDVS II. DEI GRATIA, *Electus Romanorum Rex, semper Augustus, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ & Sclavoniæ, Rex; Archidux Austriæ, Dux Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Lucemburgi, VVurtembergæ, Super: Inferiorisque Silesiæ, Princeps Sueviæ, Marchio S. Rom. Imperij, Burgrauiæ, Super: Inferiorisque Lusatiæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Pfirtæ, Kyburgi & Goritij, Landgravius Alsatius, &c. Notum facimus, tenore præsentium nostrarum literarum, omnibus & singulis:*

POstquam, divina favente clementia, nuperis elapsis diebus per ordinariam electionem Reverendissimorum Inlustrissimorumque, Ioannis Suicardi Moguntini; Lotharij Trevirensis, & Ferdinandi Coloniensis, Archiepiscoporum: quemadmodum & loco Friderici, Comitis Palatini ad Rhenum, Ducis Bavariæ: Ioannis Georgij, Ducis Saxoniæ, Iuliaci, Cliviæ & Burgæ, Burggravij Magdeburgensis: Ioannis Sigismundi, Marchionis Brandenburgensis, omnium S.Rom. Imperij, per Germaniam, Galliam, Regnum Arelatense, & Italiam Archicancellariorum, & respective Archidapiferorum, Archimarescal-

 lorum,

lorum, atque Archicamerariorum, dilectissimorum nostrorum adfinium, & Electorum per Dilect. S.S.S. plenipotentiam habentes Legatos, Ioannem Albrechtum, Comitem Solmensem, Munzebergæ Dominum, Wolffgangum, Comitem Mansfeldium, Nobilem Heldrungæ, Dominum, Equitem, & Capitaneum, & Adamum Gansium, Nobilem Dominum Putlizij, & Wolfhagiæ, Electoratus Brandeburgici Marescallum hæreditarium, ad honorem dignitatemque Romano-Regij nominis & potentiæ evecti simus, quam etiam in Dei ter Opt. Max. laudem, S. Rom. Imperij gloriam, atque totius Christianitatis Germanicæ nationis & Reipubl. causa libentes suscepimus. idcirco ex libera clementissimaque voluntate, una cum amantissimis nostris adfinibus & Electoribus, in sequentes articulos, pacta, & conditiones, consensum nostrum præbuimus, easdem acceptavimus, & ipso facto præstare promisimus.

Articulus sive Capitulum.

I.

Quod toto istius nostræ Regiæ dignitatis, officij, & regiminis tempore, universam Christianitatem, Romanam sedem, eiusdem S. Pontificem, & Christianam Ecclesiam, tanquam illius Advocatus, in fideli protectione
» conservare, cumprimis v. in S. Rom. Imperio pacem,
» justitiam & concordiam propagare & debeamus & ve-
» limus: adeo ut illa omnia communem suum cursum, pauperi æque ceu diviti, retinere, illorumque ordinationes, libertates, priscæ receptæque consuetudines conservari debeant.

Attamen

Attamen quod ad hunc & subsequentem XV. Articulum præsentis obligationis, versiculo, Hoc debemus & volumus cum suo, Electorum, &c. attinet, antedicti nostri adfines, Electores Seculares, expresse coram nobis sese resolverunt & declararunt, quod in id, ubi de Romana Sede, & S. Pontifice facta mentio, Dilect. Suæ minime consentire, nec nos ad illud ipsum obligatos velint.

II.

Debemus & volumus etiam Auream Bullam, Religionis, prophanamque pacem, provincialem itidem pacem, eiusque tuitionem sive protectionem, in Comitijs Augustanis A. C. M. D. LV. institutam ratamque habitam, inviolatam, sartam tectamque conservare, & contra easdem neminem onerare: alias quoque S. Rom. Imperij Constitutiones & Leges, (modo istæ Comitiorum Augustanorum Recessui, A. C. M. D. LV. non adversentur:) confirmare, renovare, & quotiescunque necessitas fieri postulaverit, consilio nostrorum & S. Rom. Imperij Electorum, augere & corrigere.

III.

Omnibus modis quoque debemus & volumus Germanicam nationem, S. Rom. Imperium, Electores, tanquam illius præcipua membra; alios etiam Principes, Comites, Barones & Ordines, apud eorundem dignitates, Iura, Iurisdictiones, potentiam & potestatem, juxta cujusvis statum sartos tectosque conservare, absque ullius hominis contradictione: eorundem etiam Regalia, Magistratus, Libertates, Pignorationes & Iurisdictiones, laudabiles itidem ipsorum consuetudines hactenus usurpatas, terra marique in optima forma absque ulla denegatione,

tione, confirmare, & tanquam Electus Romanorum Rex, defendere atque tueri, circa tamen cujuscunque Iuris præjudicium.

IV.

Concedimus etiam, ut commemorati VI. Electores ex præscripto Aureæ Bullæ, & occasione S. Rom. Imperij, propria ipsorum necessitate & officio id ita requirente, aliquando ad deliberandum consultandumque convenire queant: cujus rei gratia illos nec impedire nec odisse, sed in hisce vel alijs, nosmet juxta commemoratam istam Auream Bullam gerere & debemus & volumus: quemadmodum etiam Electorum Vniversalem & peculiarem Rhenanam conjunctionem, tanquam cum approbatione priorum Romanorum Imperatorum laudabiliter institutam, tam in hisce quam alijs in istis comprehensis punctis, nostra ex parte approbamus & confirmamus.

V.

Debemus & volumus quoque omneis inconvenientes odiosas Confœderationes, Obligationes, & Conjunctiones Subditorum, Nobilitatis & vulgi, rebelliones & seditiones, violentamque vim contra Electores susceptam, & quæ imposterum suscipi possint, tollere, abrogare, atque cum ipsorum Electorum, aliorumque S. Rom. Imperij Ordinum ope & auxilio, omnia nostra consilia & actiones eò dirigere, ut illud, ratione æquitatis futuris temporibus omnino prohibeatur & præcaveatur.

VI.

Debemus & volumus itidem propria authoritate, tanquam Electus Romanorum Rex, in S. Rom. Imperij negotijs

negotijs etiam nullam fœderationem vel conjunctionem cum exteris nationibus neque cum alijs eiusdem Imperij » membris inire, priusquam VI. Electores eius rei gratia » ad competentem locum opportuno tempore convoca- » verimus, vel totalem, vel tamen potiorem ipsorum voluntatem impetraverimus.

VII.

Quicquid etiam hactenus vnicuique Electori, Principi, Domino, vel alteri cuidam aut ipsorum maioribus, avis, vel proavis, Ecclesiastici vel secularis status absque Iure violenter ablatum fuerit: eosdem juxta ipsam æquitatis normam bonis suis restituemus, eademque pro virili, & quantum jus permissurum est, tuebimur atque defendemus.

VIII.

Ad hæc & in specie debemus & volumus à S. Rom. Imperio ejusdemque pertinentijs, non duntaxat sine præscitu, voluntate atque permissione eorundem omnium Electorum nihil alienare, oppignorare, vel quocunque alio modo distrahere, sed multo potius eo adlaborare, ut abalienata, utpote fisco addicti Principatus, Dominia, aliaque eximia insigniaque bona, quæ partim illegitimo modo in alias peregrinarum nationum manus pervenerunt, eidem S. Rom. Imperio restituantur atque conserventur: præsertim cum intelligamus, aliquot insignia ad Imperium pertinentia Dominia & feu- ,, da in Italia vel alijs in locis abalienata sient: cuius rei ,, gratia singulares iniquisitiones instituemus, & eius rei acceptam notitiam ad Moguntinam Cancellariam intra

vnius de dato anni ſpatium abſque ulla mora mittemus, atque in eo, quemadmodum & ſupra commemoratis in omnibus, conſilio, auxilio atque adſiſtentia ſex Electorum, Principum & Ordd. illud acceptabimus, quod nobis ipſisque commodum utileque eſſe videbitur: attamen citra cuiusvis habentium privilegiorum præjudi-
» cium. Sin etiam vel nos vel noſtri, quod ad Sacrum
» Roman. Imperium pertineret, vel nullo legitimo titulo
» partum eſſet, forſitan obtineremus, illud abſque ulla
» mora ad Electorum poſtulata Imperio reſtituemus.

IX.

Pari modo debemus & volumus toto noſtri Imperij tempore, cum vicinis Principibus atque Proceribus, bonam amicitiam & correſpondentiam alere & conſervare: nullas rixas, inimicitias, vel bella in vel extra
» Sacri Romani Imperij limites eius rei gratia inchoare
» vel ſuſcipere, neque ullas peregrinas militareis copias
» in Imperium introducere, abſque præſcitu, conſilio,
» atque conſenſu, eiuſdem Sacri Romani Imperij Ordinum, ad minus vero VI. Electorum. Sin etiam ab uno vel altero S. Rom. Imperij Ordine illud fieret, & peregrinus forſitan miles in Imperium introduceretur, tum ſimiliter eundem omnibus modis impedituri ſumus. *Viceverſa*, Imperij cauſa, bello laceſſiti, omni ſuccurſu uti frui nobis licebit.

X.

Similiter & ipſos Electores, alioſque S. Rom. Imperij Ordines Comitijs, pecunia Cancellariæ, profectionibus faciundis, impoſitionibus & contributionibus non neceſſa-

necessario, & absque legitimis causis onerare: in permissis casibus contributionum, impositiones & comitia absque præscitu & consensu VI. Electorum, nulla itidem Comitia, præter Imperij Germanicæ nationis indicere, nec Imperij eiusdemve Ordinum promissas contributiones & auxilia ad alium quam destinatum finem convertere & debemus & volumus.

XI.

Debemus & volumus etiam nostra Regia & Imperij officia, tam in aula quam Imperio, nulla alia cum natione, quam cum natis Germanis, non sane inferioris alicuius status sive conditionis, sed cum Principibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & nullis alijs, nisi nobis atque Sacr. Roman. Imperio juramento officijsque " obligatis stabilire, eorundemve, officiorum, honores, dignitates, proventus, jura atque jurisdictiones, sartas tectasque conservabimus, nec quicquam ijs derogabimus absque omni periculo.

XII.

In scriptis, & S. Romanor. Imperij actionibus quoque nullam aliam linguam usurpabimus, quam Germanicam vel Latinam, exceptis ijs locis, in quibus alia lingua in usu esset, qua nos & nostri etiam uti poterimus.

XIII.

Similiter & Electores, Principes, Proceres, Prælatos, Comites, Barones, Nobiles, aliorumque Ordinum atque Subditorum S. Rom. Imperij, ad comparitionem coram peregrino exteroque Magistratu non cogemus, sed eos-

dem, & quemlibet in ſpecie, juxta requiſita Aureæ Bullæ, & S. Rom. Imperij conſtitutionem in Imperio commorari patiemur.

XIV.

* In ſpecie etiam, (quum Electores in S. Rom. Imperio, tanquam eiuſdem præcipua membra, ante alios Ordines, non duntaxat vigore Aureæ Bullæ, verum etiam aliorum inſignium Privilegiorum, à peregrinis, cumprimis autem Rotveilenſi, judicijs, tam pro ſe, quam ſuis etiam ſubditis, liberi & exempti ſient, nihilominus tamen modo commemorati ipſorum ſubditi quandoque per aulici iſtius judicij proceſſus moleſtentur:) omnibus modis providebimus, ut iſtiusmodi proceſſus in dicto iſto Rotveilenſi aulico Iudicio, abrogentur, & ſin forſitan vnius vel alterius Electoris ſubditi cum iſtiusmodi proceſſibus graventur, concedemus, ut modo dictos iſtos proceſſus non duntaxat non accipiant, ſed & Electores illos ipſos, qui ab inſinuatione talium proceſſuum ſibi temperare nolint, pro ſuo lubitu punire & poſſint & debeant.

XV.

Quum etiam contra concordata Principum, per inſtituta pacta vel compoſitiones, inter Eccleſiam, ſummum Pontificem, vel ſedem Romanam, & Germanicam Nationem, cum inconſuetis Gratijs, Reſcriptis, & Annatibus Epiſcopatuum, quæ ſæpius in Romana aula ab exaltari volentibus, ad derogationem extenuationemque iſtorum Epiſcopatuum & Cleri, contra datas libertates, in præjudicium juris Patronatus, & Domini feudatarij,

datarij, indeſinenter expracticantur, quem in finem etiam, uti ſane à fidedignis percipimus, prohibitæ, interdictæque Societates, Contractus, vel Confœderationes ſanciuntur, ea omnia, cum Conſilio Electorum, aliorumque S. Rom. Imperij Ordinum, apud S. Patrem ſummum Pontificem, & Sedem Romanam omnibus modis antevertere ſtudebimus: omniaque noſtra ſtudia & actiones eo potiſſimum dirigemus, ut antedicta concordata Principum, & pacta inita, quemadmodum etiam Privilegia & Libertates ſartæ tectæque conſerventur; attamen ut gravamina in ijſdem reperta, & exinde exorti abuſus, juxta requiſita ejus rei gratia Auguſtæ Vindelicorum minoris numeri A. C. M. D. XXX. in ijſdem Comitijs habitæ tractationis abrogentur, & inpoſterum abſque præſcitu, conſilio & conſenſu Electorum, non amplius permittantur.

XVI.

Pari modo debemus & volumus etiam magnas ſocietates mercatorias, quæ hactenus cum ſua pecunia primatum regimenque tenuerunt, pro ſuo lubitu omnia miſcuerunt, & uſuris multas S. Rom. Imperio, ejuſdem inquilinis & ſubditis, enormitates, damna, gravamina atque præjudicia intulerunt, atque etiamnum hodie inferunt, cum ipſorum Electorum, aliorumque S. Rom. Imperij Ordinum, (quemadmodum hactenus quidem attentatum, attamen nondum effectui datum eſt:) conſilio omnino abrogabimus.

XVII.

Debemus & volumus quoque in ſpecie, quum Germanica natio & S. Rom. Imperium terra marique alias

 magis

magnis vectigalibus oneratum gravatumque ſiet, nunc in poſterum nullum vectigal denuo inſtituere, vel alias inſtitutum augere, abſque peculiari conſilio, præſcitu, voluntate & permiſſu commemoratorum VI. Electorum.

XVIII.

Similiter etiam volumus, ut illi Ordines, quibus à noſtris Anteceſſoribus, Romanorum Imperatoribus, conſenſu S. Rom. Imperij Electorum, hoc modo, vel certa reſervatione, aut nova vectigalia conceſſa vel antiqua renovata, aucta vel prorogata fuerunt, modo & toties nunc commemoratos Electores, ipſorum ſubditos, miniſtros, aliaſque liberas immuneſque perſonas, earumdemve bona & merces cum dictis iſtis denuo conceſſis, auctis, vel prorogatis vectigalibus, non amplius onerent, ſed abſque perſolutione vectigalis libere impediteque dimittant, ac inſuper peculiaribus literis Reverſalibus ſeſe Electoribus obſtringant. Quum autem commemorati Ordines modo dictas iſtas Reverſales dare hactenus neglexerint, idcirco omni ſtudio eoſdem ad debitum obſequium & officium admonebimus & exhortabimur, ut videlicet Reverſales iſtas Electoribus proxima quaque occaſione abſque mora tradant. Illis autem qui in futurum, ſupra commemorato modo, vel nova vectigalia, vel antiquorum auctionem & prorogationem obtinuerunt, ante exhibitionem Reverſalium iſtarum nullas Regias conceſſiones ullo modo communicabimus.

XIX.

Et quoniam omnibus & ſingulis cognitum manifeſtumque

ſtumque, quam graviter Rheni fluvius, præſertim vero in Belgio, ob tum temporis diverſimodas hinc inde graſſantes ſeditiones præparationeſque bellicas, impoſitionibus gravatus oneratuſque ſiet, adeo ut Rhenani Electores, una cum ſubditis ſuis in ſummam proventuum ſubſidiorumque aliorum, jacturam inciderint, commercia etiam in dicto iſto Rheni fluvio, peſſimo ſane exemplo, impedita vel omnino detenta, peculiares itidem naves bellicæ Electoribus iſtis Rhenanis vel alijs ſuperioribus minime ſalutatis, Rheno ex Belgio impoſitæ fuerint, quo facto tam ipſi mercatores quam etiam nautæ, majoribus exactionibus graviter onerati fuerint, armatæ ſive bellicæ etiam iſtæ naves inſuper, ad multas Rhenanorum cumprimis aliorumque Electorum hactenus nondum abduci voluerint: idcirco debemus & volumus proxima quaque occaſione una cum VI. Electoribus, omnia noſtra conſilia & actiones eo dirigere, ut naves iſtæ bellicæ ab Imperij fundo removeantur, in poſterum introduci præcaveantur, & gravia iſta vectigalia, ſive impoſitiones, omnino abrogentur.

XX.

Sin etiam quiſpiam à Nobis vectigalis conceſſionem & renovationem, auctionemque priorum, à nobis ſupplicando petierit, tunc eidem nullam interpoſitionem, promotionem, vel interceſſionem ad S. Rom. Imperij Electores ullo modo communicabimus.

XXI.

Simili modo ſi forſitan plures vel pauciores, cujuſ-

cunque

cunque etiam dignitatis & conditionis illi fuerint, unicum novum vectigal in ſuis Principatibus, Provincijs, Dominijs, ditionibus atque territorijs, extra noſtram conceſſionem & Electorum conſenſum inſtituiſſent, eos omnes & ſingulos, quamprimum modo ejus rei cauſa certiores redditi fuerimus, per mandata ſine clauſula omnibus modis dehortari & volumus & debemus; neque unquam permittemus, ut quiſpiam de facto & propria authoritate nova vectigalia inſtituat, augeat, vel eorundem ſeſe participem reddat.

XXII.

Si quoque iſtiuſmodi in caſibus, novorum vectigalium, vel eorundem auctionum gratia, quibus Electorum vectigalia imminui poſſent, Septemviri active vel paſſive in jus vocentur, quocirca, quum iſtiuſmodi vectigalia, Regalia & Privilegia, ſolummodo à Romanorum Imperatoribus, & Regibus, cum conſenſu VI. Electorum, in S. Rom. Imperio conceſſa communicataque fuerint, & harum rerum dijudicatio ſive ſublatio ad nos pertineat, iſtiuſmodi in jus vocationes vel controverſiæ coram nobis deduci & finiri debent, nullus quoque Elector neque ad noſtram ac S. Rom. Imperij Cameram, neque ad alia judicia ordinarijs cum actionibus obligetur: cujus rei gratia etiam in modo dicto noſtro & S. Rom. Imperij Cameræ iudicio rem iſtam urgere neutiquam intermiſſuri ſumus.

XXIII.

Poſtquam etiam aliquot ab annis Electores Rhenani multis magniſque vectigalium exemptionibus, ipſorum privilegijs libertatibuſque repugnantibus, ſæpius per promo-

promotoriales intercessionalesque literas, sæpius autem alijs modis requisiti & sollicitati fuerint, illud tanquam onus intolerabile, abrogari, & in posterum amplius non permitti & volumus & debemus.

XXIV.

In specie autem debemus & volumus etiam, si fortassis aliquis Elector vel princeps, in habentibus suis Regalibus, Libertatibus, Privilegijs, Iuribus & Iurisdictionibus, oneratus fuerit, vel ob id adversarium in jus traxerit, illam forensem controversiam adprobando admittemus, & liberum Iustitiæ cursum permittemus.

XXV.

Simili modo debemus & volumus Electoribus, Prin- „
cipibus, Prælatis, Comitibus, Dominis, alijsque S. Rom. „
Imperij Ordinibus, nullam violentiam inferre, neque „
alijs, ut idem faciant, permittemus; sed vice versa, si quis „
rem adversus alium habuerit, ad seditionem, discordiam, omnemque intemperiem in S. Rom. Imperio præcavendam, ambas litigantes partes in consueto judicio audiemus, neque cuiquam permittemus, sub quocunque rei prætextu etiam illud fieri posset, ut alter ab altero rapinis, bellis, alijsque incommoditatibus infestetur vel hostiliter obruatur.

XXVI.

Debemus & volumus etiam præcavere, & nullo mo- „
do committere, ut in posterum quisquam tam superioris „
quam inferioris sortis & conditionis homines, Electo- „
res, Principes, vel alij Ordines, absque causa & inauditi „

proſcribantur: ſed multo magis in illis Caſibus Ordinarij Proceſſus, & S. Rom. Imperij Conſtitutiones ex præſcripto ejuſdem Imperij, A. C. M. D. LV. reformatæ Imperialis Cameræ Conſtitutionis, & ſubſequuti Comitiorum Receſſus ordinario legitimoque modo obſerventur: attamen ut læſæ parti, juxta pacis Provincialis requiſita, legitima ſua defenſio reſervetur.

XXVII.

Poſtquam quoque S. Rom. Imperium, in magnam extenuationem, defectum & exinde ſubſequutam non contemnendam jacturam atque perniciem inciderit: idcirco penes alios S. Rom. Imperij Contributiones, Civitatum reditus, aliaque accidentia, quæ in aliarum perſonarum manus devenerunt, iterum eidem S. Rom. Imperio adijciemus, certamque aliquam deſignationem, in quorum manu ſive poteſtate illa ſita ſient, intra VI. Septimanarum ſpatium ad Moguntinam Cancellariam tramitti curabimus; ac nullo modo permittemus, ut illa S. Rom. Imperio & Reipubl. contra omne jus & æquitatem, abſque legitimo VI. Electorum conſenſu, ſubtrahantur.

XXVIII.

Sin etiam noſtro Imperij tempore, feuda inſignia vacabunt, utpote, Principatus, Comitatus, Dominia, Civitates &c. illas nemini alij concedemus, ſed ad ſubſidium S. Rom. Imperij, noſtri, noſtrorumque ſucceſſorum, Romanorum Regum & Imperatorum, tamdiu retinebimus, donec Imperium iſtud iterum ad ſuum eſſe & incrementum perveniat. Citra tamen noſtrum noſtrarumque hæreditariarum provinciarum

ciarum & alterius cujusdam Iuris damnum atque detrimentum.

XXIX.

Omnibus modis vero nobis summo studio curæ cordique erit, ut omnia ad S. Rom. Imperium pertinentia feuda conserventur, eoque etiam cumprimis spectabimus, ut, oblatis sub occasionibus & casibus, modo commemorata illa feuda ab alijs decenter accipiantur atque renoventur.

Sin etiam, post exaltationem nostram in Romanorum Imperatorem, ejusmodi quid deprehensuri simus, quod ad S. Rom. Imperium pertinere videatur, id omnino accipi curabimus: sin vero illud commode haud fieri posset, tum ejus rei gratia Dominis Electoribus, ad certam Imperij assecurationem, decentes Reversales & recognitionem tradere minime gravabimur.

XXX.

Sin autem futuro tempore Principatus, Comitatus, Dominia, oppignorationes aliaque bona, S. Rom. Imperio servitijs, impositionibus, contributionibus, &c. obligata obstrictaque à morte possessorum, ad nos hæreditario transferri, vel à nobis alijs concedi debeant, vel si jam eadem in manibus nostris haberemus; de ijs toties commemorato laudatissimo S. Rom. Imperio jus, jurisdictio, contributiones, aliaque debita, omni prætensa exequutione iam posthabita, restituentur.

XXXI.

Sin etiam fortaſſis, ope & auxilio Electorum, aliorumque S. Rom. Imperij Ordinum, nobis aliquid lucrari contigerit, vel alias recuperare potuerimus, id omne in ejuſdem S. Rom. Imperij commodum emolumentumve convertemus. Sin autem in eodem abſque præſcitu & voluntate Electorum aliorumque Ordinum aliquid attentaverimus, in eo nobis ſuppetias ferre ne teneantur, noſque nihilominus illud, quod fortaſſis recuperaturi ſumus, vel jam ante recuperavimus, & ad S. Rom. Imperium pertinere videatur, eidem Imperio tenebimur reſtituere.

XXXII.

Cum etiam hactenus in eodem S. Rom. Imperio multi defectus & gravamina, monetæ cauſa extiterint, atque etiamnum hodie exiſtant, idcirco eadem conſilio ope & auxilio Electorum Ordinumque Imperij commodiſſime præcavebimus, & in meliorem ſtatum redigere omnem operam dabimus: eumque in finem illa ipſa media, quæ A. C. M. DC. III. alijſque prioribus in Comitijs in genere perpenſa, conſiderataque ſunt, fideliter cum noſtris conſultabimus, & nihil omnino prætermiſſuri ſumus, quæ ad ſublationem tam diuturnæ confuſionis pertinere videbuntur.

XXXIII.

Debemus & volumus etiam inpoſterum, abſque præſcitu VI. Septemvirorum, nulli, cujuſcunque Status atque dignitatis etiam ille fuerit, libertatem cuden-

cudendæ monetæ concedere: ſed multo potius, ubi certo deprehenderimus, Ordines, Regalibus iſtis donatos, edicto monetario turpiter abuſos eſſe, vigore diſpoſitionis, & hac in re ſancitæ conſtitutionis, libertatem iſtam ſuſpendemus: illos autem qui Regale illud non cum Electorum conſenſu obtinuerunt, eodem omnino privabimus, & abſque præſcitu Septemvirorum, ijſdem illud non reſtituemus. cumprimis autem ijs in civitatibus, quæ S. Rom. Imperio non immediate, ſed eiuſdem Imperij Ordinibus ſubjectæ ſunt, revocabimus, annullabimus, & in poſterum nulli amplius Regale illud communicabimus: multo minus autem inferioribus Ordinibus, cum iſtiusmodi, vel alijs ſummis privilegijs, abſque conſenſu Electorum, in eorundem præjudicium vel derogationem gratificabimur.

XXXIV.

Cumprimis volumus & debemus etiam nulli ſucceſ- »
ſioni vel hæreditati toties nunc commemorati S. Rom. »
Imperij inhiare, nec ad noſtros hæredes atque poſteros »
transferre: ſed multo potius nos, noſtri liberi, hæredes atque poſteri, Electores iſtos, eorundem hæredes & poſteros, omni tempore, penes liberam ſuam Electionem Romanorum Regis ſartos tectoſque conſervabimus, adeo ut illam (electionem) quotiescunque in emolumentum alicuius Imperatoris vel S. Rom. Imperij, neceſſitas illud poſtulaverit, etiamnum vivente adhuc Romanorum Imperatore, cum, vel (ſi ad rogationem interceſſionemque Electorum is forſitan denegatur) abſque Regentis alicuius Romanorum Imperatoris conſenſu, ſuſcipere & poſſint & debeant.

XXXV.

Pari modo etiam Vicarios, uti à priscis temporibus ad ipsos tralatum est, ex præscripto Aureæ Bullæ, Iurium Pontificiorum, aliarumque legum atque libertatum, quotiescunque illud necessitas postulare videbitur, in peculiaribus suis consilijs, S. Rom. Imperij negotia concernentibus, imperturbatos relinquemus, neque concedemus, ut Vicariatus, eorundemve Inra, &c. à quoquam in dubium disputationemque trahantur. Sin autem quisquam contra illud quicquam attentaverit, adeo vt Electores, quod tamen fieri non debet, forsitan cogantur, tunc illud pro nullo, nihilo, atque invalido æstimetur.

XXXVI.

„ Quicquid etiam II. Sacri Romani Imperij Electores &
„ Vicarij, vacante Imperio, juxta tenorem Aureæ Bullæ,
„ & eiusdem S. Rom. Imperij constitutionum, tractave-
„ rint, vel alij concesserint, illud approbabimus, confirmabimus & ratificabimus, idque in optima forma, & quemadmodum fieri semper convenit.

XXXVII.

Similiter & debemus & volumus Romano-Regiam Coronam, quemadmodum Romanorum Regem bene decet, acceptare, nosque ad acceptandam Coronam Imperatoriam promovere, omnibusque requisitis per omnia satisfacere: quemadmodum etiam Regiam nostram Residentiam, præsentiam, & aulam in Germanicæ nationis Sacr. Rom. Imperio, in omnium eiusdem membrorum, Ordinum, honorem, emolumentum, utilitatem

litatem atque commodum, maiori ex parte pro virili fovebimus, omnes Electores, ad faciendum suum officium, ad supra commemoratam nostram coronationem invitabimus, & in omnibus nos adeo erga omnes exhibebimus, ut nullus in nobis defectus unquam appareat.

XXXVIII.

In eadem quoque nostra promissione, nihil in præjudicium Aureæ Bullæ, S. Rom. Imperij constitutionum, supra commemoratæ pacis, Religionis ac prophana negotia concernentis, provincialis pacis itidem, eiusdemque tuitionis atque protectionis, aliarumque Legum, quæ jam ante factæ sunt, vel in posterum à nobis, ope & consilio Electorum, Principum, aliorumque S. Romani Imperij Otdinum, concedentur, præsumere, & nulla rescripta vel mandata edere, vel ullo modo fieri permittere nec debemus, nec volumus: Similiter & pro Nobis ipsis contra antedictam Auream Bullam, Sacri Romani Imperij libertates, pacem, eiusdemque tuitionem atque protectionem ab alio summo Magistratu nihil impetrabimus, neque illud, si forsitan tale quippiam nobis indulgeretur, ullo modo usurpabimus. Sin au- „
tem contra modo commemoratos Articulos & puncta „
aliquid susceptum vel molitum fuerit, illud nullum, „
irritum, atque invalidum pronunciamus: quemadmo- „
dum etiam ea omnia jam semel pro semper irrita atque „
invalida pronuntiamus, & urgente necessitate onera- „
tæ gravatæque parti literis testimonialibus succurrere „
haud gravabimur. „

Debe-

XXXIX.

Debemus & volumus etiam omnibus S. Rom. Imperij Electoribus, Principibus & Ordinibus. eorundemve omnium nuntijs & Legatis omni tempore audientiam expeditionemque communicabimus: ipsorum feudales literas juxta priorem tenorem confirmabimus: & in re-
„ bus ſerijs, Sacr. Rom. Imperium concernentibus, mox
„ ab initio eorundem Electorum conſilium & conſidera-
„ tiones minime aſpernabimur. Inprimis autem ad no-
„ ſtrum & Sac. Rom. Imperij conſilium aulicum Principes, Comites, Barones, Nobiles alioſque honeſtiſſimos viros, tam in S. Rom. Imperio quam alijs etiam in locis educatos, bene dotatos, & S. Rom. Imperij negotiorum conſcios promovebimus: adeo ut cuilibet jus ſuum tribuatur, & Iuſtitia benè ac decenter ubivis adminiſtretur.

XL.

Commemorato etiam iſti noſtro Imperij conſilio aulico certam inſtructionem tribuemus, veterem recognoſcemus, in proximis S. Rom. Imperij Comitijs eandem Electoribus dijudicandam exhibebimus, & ſingulis annis vel biennio, una cum Archiepiſcopo Moguntino, tanquam S. Rom. Imperij Archicancellario, viſitabimus, præſertim vero nuperrimo tempore Norimbergæ ab Electoribus comprehenſam conſiderationem, ad Iuſtitiæ promotionem commodiſſime ad effectum deduci curabimus.

XLI.

Quum etiam S. Rom. Imperij Electores, tanquam intima

intima nostra membra, & præcipuas eiusdem S. Rom. Imperij columnas, cumprimis præ cæteris mortalibus omnibus alte considerare necessum habeamus: idcirco omnia nostra studia & actiones eo potissimum dirigemus, ut, si in Comitijs, vel alijs Sacri Romani Imperij conventibus nobis eorundem officijs uti frui liceat, omnes & singuli pro suo merito respiciantur, ijsdemve, ab alijs nostris officialibus aulicis nihil omnino præscribatur. Sin vero ipsorum vices nostri aulici officiales aliquando agere necessum habuerint; nihilominus tamen istarum expeditionum utilitates, sive competentes commoditates, non secus quam si ipsi suo muneri præfuissent, ad ipsos redundabunt.

XLII.

Quo melius etiam tam intimum, quam Imperioaulicum consilium huius Capitulationis certiores reddantur, & juxta illam in consilijs, & alias etiam actiones suas instituere queant: idcirco non duntaxat eius rei ipsos certiores reddemus, verum etiam, sub præstando officiali suo juramento ipsis serio injungemus, ut eandem (capitulationem) assidue in oculis quasi circumferant, nec contra illam sua forsitan consilia conferant: id quod commemorato ipsorum officiali Iuramento expressis verbis inseri curabimus.

XLIII.

Et hæc omnia & quodlibet quidem in specie, nos, supra commemoratus, Romanorum Rex dictis istis S. Rom. Imperij Electoribus, sub verbis nostris Regijs,

nomine Veritatis, promisimus, atque tenore præsentium istarum literarum, eadem nostra verba Regia servanda, corporali ad DEUM, & S S. Evangelium præstito juramento confirmavimus, neque eadem ullo modo, qualiscunque etiam excogitari posset, violabimus.

OBSIGNATIO ET CONFIRMATIO.

In fidem præmissorum VI. istas una forma & stylo exaratas literas Regio nostro sigillo confirmavimus, & unas singulo Electori tradi curavimus. Quæ dabantur 28. Augusti, Anno à partu Virgineo, Domini & Servatoris Nostri IESV CHRISTI, M. D C. XIX. Regnorum nostrorum Romani I. Hungarici II. & Bohemici III.

PRO-

No. 2.

PROTESTANTIVM
Atque
CATHOLICORVM PRINCIPVM ET ORDINVM COMPOSITIO VLMENSIS.

Dei favente Gratia,

NOS MAXIMILIANVS, *Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, &c. & Nos eadem divina gratia Ioachimus Ernestus Marchio Brandenburgensis, &c. Notum facimus omnibus & singulis.*

POstquam non solummodo in S Rom. Imperio, verum etiam alijs vicinis Regnis atque Provincijs periculosi motus atque tumultuosæ seditiones hactenus exortæ atque hac eadem de causa magnæ utrimque præparationes bellicæ susceptæ sint, adeo ut de ijsdem in hunc usque diem sinistræ admodum diu jam ante præconceptæ cogitationes ex hominum animis difficulter admodum evelli queant, quasi scilicet apparatus iste bellicus ad offendendum alterum ordinem, non vero ad legitimam sui defensionem susceptus fuerit: Vt autem omnes istiusmodi diffidentiæ inter utramque Vnionem imposterum tolli & maior vice versa confidentia in S. Rom. Imperio sanciri posset, interveniente Serenissimi potentissimique Galliarum Regis gravissimo & amplissimo Domino Legato tum temporis in S. R. Imperij civitate Vlmensi præsente in subsequens compromissum & confœderatoriam asse-

curationem aſſenſum noſtrum præbuimus. Pollicemur ergo nos Maximilianus Dux Bavariæ,&c. Catholicorum confœderatorum Generalis: & Nos Ioachimus Erneſtus Marchio Brandenburgenſis Evangelicæ Vnionis ſupremus capitaneus nomine nobis addictorum Dominorum Electorum Principum atque Ordinum, in fidem veraciſſimorum noſtrorum verborum, optima forma juris omnium firmiſſime atque conſtantiſſime,quod nemo neque unius neque alterius Vnionis Elector Princeps atq; ordo, ſive per ſe ſive per ſuos, qua ratione & prætenſione id etiam fieri vel excogitari queat, quibuscunque præparationibus bellicis adverſam partem eiuſdemve Electoratum, Principatum, Provincias, populos, civitates, pagos villaſque, in Eccleſiaſticis & ſecularibus, hoſtiliter invadere, contra publicam Religionis prophanamque pacem perturbare, ſed multo potius Catholici cum Evangelicis & Evangelici cum Catholicis in ſyncera incorrupta fide, quiete, & concordia, conſtanter perſeverare & velit & debeat.

Quo melius autem hocce noſtrum compromiſſum, quemadmodum inter vicinos Principes & Ordines,juxta Imperij conſtitutiones uſu receptum conſtanter quoque in poſterum ſervari & continuari queat, utrimque in vicinitate copiæ militares,ubicunque locorum jam congregatæ, dimitti, atque abſque unius alteriusque damno deduci, vice verſa vero nullæ amplius introduci debent.

Secundo, cautum quoque eſt, ſi forſitan una vel altera Vnionis pars,copiarum ad legitimam ſui ſuorumque defenſionem conſcriptarum,ſecundum. S. R. Imperij conſtitutiones,tranſitum petat, illum,ſufficienti tamen prius alteram partem non lædendi data cautione,minime prohibendum eſſe, modo petitio fieret in tempore non inopinato,

pinato, & copijs jam alterius partis finibus adpropinquantibus.

Tertio in hac noſtra tractatione Regnum Bohemiæ ejuſdemque incorporatas Provincias minime; ſed vice verſa illos Electoratus, Principatus atque Provincias vtriuſque partis confœderatis Electoribus ac Ordinibus S. R. Imperij ſubjectas (inter quas etiam Electoratum Palatinum & hæreditarias ejus Provincias, cum de ijſdem omnia ſaniora conſilia ſperentur, intellectas volumus) comprehenſas eſſe indigitamus & prædicto Regno Bohemiæ ejuſdemve in corporatis Provincijs liberum curſum ſuum adhuc pro tempore permittimus.

Quarto omnia utrimque in hoc conventu propoſita gravamina, tam Euangelicorum Orthodoxos quam Romano Catholicos attinentia, ob brevitatem temporis & carentiam defectumque ampliorum mandatorum, in aliud commodiuſque tempus rejecimus.

Ad prætenſa quoque ab utraque Vnione Sundhemi & in ejuſdem vicinitate illata damna quod attinet, de illorum reſtitutione in futuro æqua tractatio ſuſcipienda erit. Quæ omnia nos Maximilianus Dux Bavariæ & Nos Ioachimus Erneſtus Marchio Brandenburgenſis una cum utriuſque Vnionis Sereniſſimis Dominis Electoribus Principibus alijſque S. R. Imperij Ordinibus inviolabiliter nos ſervaturos eſſe ſancte heic pollicemur. In majorem rei confirmationem compromiſſo huic proprijs noſtris manibus ſubſcripſimus & principalia noſtra ſigilla in fine appendi juſſimus. Actum 23. Iunij & 3. Iulij. A. C. M. DC. XX.

No. 3. PROPOSITIONES BARONIS DIGBII, Ser. Magnæ Britanniæ Regis Legati ad S. Cæs. Majest.

I.

VT Cæsarea Majest. Sua dignaretur, Comitem Palatinum in pristinam gratiam & favorem recipere, eique hæreditarias Ditiones & Titulos in integrum restituere, quos tenebat prius quam Bohemis se adjunxit: Magna Britanniæ Rege hoc in se recipiente, prædictum Comitem Palatinum ad debitam Reverentiam & Obedientiam, & omnimodas justas rationique consentaneas conditiones pro satisfactione Cæs. Majest. deductum iri.

Responsio Prima Cæs. Majest. ad Propositiones dicti Legati.

I.

SAcra Cæs. Majest. attenta singulari moderatione, quam Ser. Britanniæ Rex, in Bohemico negotio exhibuit, ad declarandum, quanti prædicti Regis Interpositionem, tot Regum & Principum Christiani orbis Intercessionibus comitatam æstimet: Inclinat & disposita est, gratificari prædicto Regi, dum Rex in se vicissim recipiat, reducere Palatinum ad debitum obsequium, obedientiam & satisfactionem suæ Maj. præstandam. Verum cum hoc negotium tanti momenti & ponderis sit, totumque quasi Imperium concernat, in quo Majest. Sua hactenus assistentia & consilio diversorum Principum uti solita; Non equidem conveniens esse judicavit, Resolutionem finalem capere, sine eorundem interventione & consilio, quo majori authoritate & securitate, ne totum onus suæ Majest. incumbat, tractatio hæc subsistat. Qua de causa Majest. sua conventum Electorum & Principum

pum quorundam Ratisbonam edixit, ut ex consilio eorundem Principum in negotio Palatini sese denique resolvat.

II.

Vt Cæs. Majest. mandaret, ut ulterior Executio Banni Imperialis suspendatur, & Induciæ in Inferiori Palatinatu protrahantur, dum de his consultatur.

II.

Etsi bello legitimo durante inter Principes æquales, hostilitatis continuatio accusari non possit: aliter tamen hoc casu, attenta Cæsarea Superioritate, & vasalli officio, supremi Iudicis sententia, & condemnati debita submissione & paritione res habet. Cum itaque armis in inferiori Palatinatu ex jussu Suæ Majest. suspensis; In Superiori autem nulla adhuc exercita hostilitate, eo ipso tempore, quo Serenissimus Rex Magnæ Britanniæ paterno zelo hanc ab armis cessationem proposuit, dictus Palatinus, Gener eius, non solum in damnata sua intentione persistat, sed & ejus mandato, Mansfeldius nuper Regnum Bohemiæ invadere ausus: Iohannes Georgius Brandenburgensis vero perniciosissimis & calumniosis suis Patentibus literis novas seditiones in Silesia & Moravia, præter ea quæ armis palam molitur, concitare sit aggressus: Hinc est quod Sua Majest. ipsimet Domino Oratori considerandum proponit, quomodo S. Majest. præterire potuerit, necessaria mandata suis dare, quemadmodum dedit, ut dictis hostilitatibus & armis se opponant. Si vero Palatinus alias rationes inierit, & Soceri sanioribus consilijs acquieverit, resque in eo statu collocaverit, ut neque Sua Majest. neque alij Principes obedientes Imperij, causas

caufas illas fufpicionum habeant,quas modo habent, Sua Majeft. quemadmodum ad Interceffionem dicti Regis Magnæ Britanniæ propofitæ pacis tractationi benigne aures accommodat, ita ad omnia ea, quæ negotium hoc adjuvare & promovere poffunt, parata erit, talemque fuper his refolutionem capiet, cui merito Magnæ Britanniæ Rex acquiefcere poffit.

RESOLVTIO CÆSARIS

Secunda

D. DIGBYO ANGLICO LEGATO DATA.

SAcra Cæf. Regiaque Majeft. Dominus nofter Clementiffimus Ser. Magnæ Britanniæ Regis Oratori, Domino Iohanni Digby,Baroni,prædicti Regis Confiliario,& fupremo Vice-cubiculario,benigniffime fignificandum duxit, Suæ Majeft. dubium non effe quin dictus Orator fatis memoria teneat, quæ fua Majeft. fuper mandatis per eum expofitis, diverfis vicibus refponfi loco dari juffit. Inprimis vero quanti fibi conjunctiffimi Regis egregias virtutes, infignemque animi moderationem, quam in Bohemicis rebus hactenus exhibuit, merito fuo æftimet, nec non à majoribus quoque traditæ amicitiæ & vicinitatis jura non confervata tantum, fed novis etiam officijs & benevolentia aucta cumulataque cupiat, neque rem ullam gratiorem jucundioremque Suæ Majeft. contingere potuiffe, quam fi ea Seren. Regis poftulata fuiffent, quibus ftatim affentiri, idque bene merendi ftudium ac voluntatem rebus ipfis declarare potuiffet.

Nunc

Nunc cum ea, quæ pro Genero suo Rex Ser. contendit, hujusmodi sint, ut summam Imperij quadantenus, pacem nimirum bellumque concernant, equidem suæ Majest. persuasissimum est, Seren. Regi non posse improbari id, quod absque dubio in simili re ipse non omitteret, nimirum quod ad eorum potissimum Consilium Majest: Sua negotium hoc distulerit, qui ex Imperij legibus, partim natura sua, partim ita communicatis cum Majest. Sua periculis meriti sunt, ut eorum consiliorum non debeant esse expertes.

Etsi vero Majest. Sua inprimis optasset, eum, quem de constituenda pace Imperij conventum Ratisbonam indixerat, Mansfeldij potissimum armis, Regno Bohemiæ ac Vicinis principibus gravi cum exercitu imminentis, non impeditum fuisse, quo loco inprimis in Electorum & principum concessu de Regijs petitionibus actum deliberatumque fuisset, non idcirco tamen Sua Majest. omittet diligenter operam dare, ut cum ea occasio præterierit, & conventus ille in incerto pendeat, ut habitis ab Electoribus & principibus, quos conventui interesse volebat, sententijs, quanto temporis compendio fieri queat, super Regis postulatis, & gratiæ modo dicto Palatino faciendæ mentem suam declaret.

Et quanquam, quod ad petitam armorum suspensionem tanquam tractationis hujus fundamentum, attinet, non exiguæ sese difficultates ostenderint, quas sua Majest sæpe dicto Oratori per Consiliarios suos exposuit, inprimis vero quod de rerum statu Inferioris & Superioris Palatinatus Majest. sua nondum plane cognovit, „ an eæ induciæ sine incommodo iniri queant, maxime „ ex quo in Inferiori Palatinatu, Palatini Ducis Horatij de Veer in Episcopatum Spirensem invasione, prioribus

K ruptis

ruptis Inducijs, arma mota esse intellexit: Ne tamen Majest. Sua prætermitteret, quo studium pacis præclarissimamque erga Regem voluntatem contestaretur, eo denique his difficultatibus provisum est, ut statim ad Bava-
„ riæ Ducem literæ pro assensu ejus, & consilio, quod ad
„ Inducias pertinet, assequendo, per veredarium mitterentur, & prædicto Domino Oratori Magnæ Britanniæ Regis, ad Ser. Hispaniarum Infantem epistolæ traderentur, quibus ei copia fieret, ulteriore nostra declaratione, Oratori adhuc in itinere constituto, transmissa, prædictas Inducias & armorum suspensionem, nisi for-
„ te evidens causa aut periculum impediret, denique concludendi. Ad quæ Sua Majest. eo libentius Oratori assensum suum præbuit, quod is vicissim Regis sui nomine promisit, statim firmatis Inducijs Regem Dominum suum, Mansfeldium ad eas observandas inducturum. Vel si quid contra hostile adversus Suæ Majest. vel aliorum principum S. Imperij ditiones, durantibus prædictis Inducijs committeret, tam Angliæ Regem quam Generum ejus, omni illi potestate detracta hostem declaraturum, Suæque Majest. insuper contra eum opem & auxilia præstiturum. Effecturum præterea, ut omnis, si qua Iagerndorffio potestas atque authoritas offendendi aut invadendi data fuerit, illico revocetur. Inprimis autem Angliæ Regem apud Generum suum enisurum, quo Tabor & Wittingau, reliquaque loca, quæ à Palatinianis obtinentur, statim ac fieri poterit, Suæ Majest. (pro ut Rex id æquum esse censebit) restituantur. Si vero Majest. Sua declarare velit, tractationis hujus decursu in Palatinatu superiori banni executionem plane velle suspendere, fideliter operam daturum, ut omnis Mansfeldij miles à signis dimittatur, atque arma interea deponantur:

tur: hac addita conditione, ut si prædicta pacis tractatio optatum suum finem non contigerit, Cæs. Majest. antequam in exequendo dato banno ad arma resiliat, id intra III. menses Regi Magnæ Britanniæ denunciare teneatur.

Atque hæc sunt, quæ pro tempore Sua Maj. sæpe dicto Oratori benignissime indicanda censuit, quæ in posterum quoque nihil prætermittet eorum, quibus studium & singularem amorem conjunctissimo Regi, gratiam vero suam Cæs. Oratori possit ostendere.

CÆSARIS EPISTOLA *Ad* MARCHIONEM SPINOLAM.

N°. 5.

ILlustriss. Non ita pridem Aulam nostram accessit à Seren. Magnæ Britanniæ Rege, consanguineo nostro, Legatus Iohannes Digby, in negotio reconciliationis Palatini proscripti, diligentibus recommandationibus Sereniss. Hispaniarum Regis Catholici & Nepotis nostri charissimi, & Archiducis Alberti, patruelis nostri, instructus, qui inter cætera Legationis suæ capita, quæ hisce adjunximus, diligenter à nobis petijt, ut durante hac tractatione, armorum suspensionem nostra ex parte indulgeremus, sine qua pacis tractationem frustra fere institui existimavit. Nobis vero cum parum liqueat, quo in statu res modo in Inferiori Palatinatu versentur, & an arma illic diutius post tot mensium inducias quiescere possint, & an non inde hosti major quam nobis commoditas atque utilitas offeratur, omnino necessarium esse duximus, & Bavariæ Ducis, cui in superiorem Palatinatum

expeditionem commisimus, & Vestram super hoc sententiam perscrutari, an casu, quem Oratori prædicto insinuari fecimus, quo Palatinus ex nostris Regnis ac Provincijs militem abduci curaverit, mandata sua & patentes Iohanni Georgio Brandenburgio & Mansfeldio datas, revocaverit, resque in eo statu collocaverit, ut nostrorum & aliorum Principum devotorum Ditionum securitati cautum sit, in petitam suspensionem armorum ex nostra parte consentire, sine detrimento possimus, quo proposita nobis pacis tractatio magis promoveatur, & Serenis. Magnæ Britanniæ Rex intelligere queat, nihil à nobis prætermitti, quo studium nostrum amoremque & quanti hanc ejus interpositionem faciamus, declarare possimus. Quare gratissimum nobis accidet, si quamprimum fieri potest, (cum hæc res celeritate indigeat) sententiam nobis vestram perscripseritis, ut in tanti momenti negotio resolutionem nostram Oratori Magnæ Britanniæ Regis, meliori cum fundamento dare possimus. De cætero gratiam vobis nostram, quam multis modis meremini inclinatissimo animi affectu, offerimus. Datum Viennæ, 5. August. A. 1621.

CÆSA-

CÆSARIS EPISTOLA AD INFANTEM HISPANIARUM ex Germanico translata.

No. . .

FERDINANDUS.

Serenifs. Princeps, consanguinea & Soror chariſsima.

QVæ erga Serenifs. Magnæ Britanniæ Regis, aliorumque Regum, Electorum & Principum intercessiones, circa reconciliationem Friderici, à Nobis proscripti, qui se Comitem Palatinum & Electorem nominat, mens nostra ante hac fuerit, ea Dilectio Vestra ex prioribus nostris cum ea communicationibus satis intellexerit. Cum vero hoc negocium, ex singularibus urgentibus & gravissimis causis, temporis spatio, atque adeo consilio Electorum, nec non D. Vestræ aliorumque quorundam fidelium Principum, & Statuum, quorum sententiam brevi expectamus, indigeat; interim autem ad eo meliorem præparationem ac ulteriorem testificationem, quantum apud nos modo memorati Magnæ Britanniæ Regis intercessio valeat, postquam quidem Magnæ Britanniæ Regis Legatus, consiliarius ac supremus vice cubicularius, Ioh. Diegbij, Baro, de securis nullique parti præjudiciosis armorum Inducijs, Nos sedulo requisiverit; minime prætermittere potuimus, quin D. Vestræ, præsentibus hisce in animum induceremus, Nos propter singularem moderationem, sincerumque pro sancta justitia zelum, quem sæpe dicta Magnæ Britanniæ

 Regis

Regis Dilectio, durante hoc perverso rebellionis statu, immortali sui laude exhibuit, cuius causa etiam Generi sui actionibus & armis in nos sumptis, hactenus assistere noluit, denique propter multiplicem amorem & affectionem, quam Dilectio. Sua, eiusdemque antecessores, erga nos, nostramque domum, varie demonstrarunt, jure nos obligatos esse, ut huius interpositionis, variarumque aliarum intercessionum rationem habeamus, & in quo conscientia nostra, authoritate Cæsarea Sacroque Rom. Imp. nec non domo nostra illæsa unquam poterimus, locum demus.

Vbi igitur certo nobis constat, Dilectni. Vestræ nihil magis cordi esse, quam ut Sacri Imperij salus, acceptabili, secura, & dignitati nostræ consentanea pace, promoveatur, atque etiam (siquidem ad illam in præsens usque tempus plene pervenire nondum licet) confidimus, eandem omnia media grata habituram, quibus præsens status aliquo modo sublevari, & animi ad eiusmodi bonum fructum & honestam pacem præparari possunt: Ita minime dubitamus, imo ipsius Dilectnis. Vestræ mariti, piæ memoriæ, literæ, quibus sæpedicti Britannici Legati propositionem sedulo nobis commendavit, nos hortantur, non minus illam modo memorati Magnæ Britanniæ Regis interpositionis rationem habituram, quam eius maritus de eo nos amice & fraterne rogavit.

Quocirca Dilectni. Vestræ hisce consensum ac pleni-
» potentiam nostram dare volumus, si propter præsentem
» rerum in Inferiori Palatinatu statum, nullæ difficulta-
» tes aut impedimenta occurrerint (siquidem etiam de Electoris Saxoniæ consensu, ex eius nuper nobis transmisso consilio, hanc scilicet tractationem, & quæ ad eandem

eandem pertinent, non denegandam; certi ſumus, & à Ducis Bavariæ Dil[e]. eandem approbationem nobis ſimiliter pollicemur) hanc armorum ſuſpenſionem libere concludendi.

Vbi & illud admonere debemus, ſæpe dictum Magnæ Britanniæ Legatum nobis promiſiſſe, ſi hanc armorum ſuſpenſionem ulterius approbamus, ſe non ſolum Mansfeldium præſcriptum ad eam, tam in regno & provincijs noſtris, quam erga reliquos Imperij Electores & Principes, imprimis vero Electoris Saxoniæ, Veſtramque D D. obſervandam inducturum, ſed & ſi Mansfeldius ei obtemperare recuſaverit, vel quid hoſtile contra commiſerit, Regis ſui nomine ſponſurum, tam Regiam Majeſtatem Magnæ Britanniæ, quam dictum Palatinum, Mansfeldium omni ab eo poteſtate revocata, hoſtem declaraturum. Curaturum præterea ſæpe dictum Legatum, ut ſtatim hac armorum ſuſpenſione firmata, omnis (ſi qua alias proſcripto Iohanni Georgio, qui ſe Marchionem Brandenburgicum nuncupat, poteſtas & imperium datum, neque ab eo in editis ſuis nullis & perniciofis diplomatibus, uti complures aliæ in eo comprehenſæ res, excogitatum fuerit) quam primum detrahatur, & annulletur. Denique vigore literarum ſuarum eo inclinatum Regem ſuum ſcire, ut apud Generum ſuum efficiat, quo Tabor & Wittingau, in Regno noſtro Bohemico nobis indubie reſtituantur.

Quibus omnibus & hoc ulterius adjunxit, ſi Cæſaream noſtram fidem interpoſuerimus, nos tractationis huius decurſu, in Palatinatu ſuperiori, vigore Executionis banni, nihil tentaturos, fideliter ſe operam daturum, ut omnis Mansfeldij miles, ſingulari noſtro & Reipub. bono, & ut eo tutius vires noſtras contra Turcam dirigere poſſimus,

ſimus, à ſignis dimittatur. Quæ D. Veſtræ hiſce benignisſime ſignificanda conſuimus, cui de cætero, amica & fraterna benevolentia noſtra propenſiſſime, ſemper addicti manemus. Dabant. in civitate noſtra Viennæ 11. Septembr. 1621.

N°. 7. DVCIS BAVARIÆ EPISTOLA

Ad

BARONEM DIGBYVM.

Illuſtriſſime Domine:

SVb noctem heri redditæ fuerunt nobis literæ Illuſt. Dom. Veſtræ, & ſimul relata, quæ per conſiliarios noſtros nobis exponi petijt, ex quibus intentionem ac ſtudium pro reſtituenda firma pace, & medendis Imperij vulneribus, mandata Regia & operam Ill. D. V. Viennæ in obtinendis interea inducijs præſtitam, ac quo ad Mansfeldium præſtandam, nec non ſingularem Ser. Regis Magnæ Britanniæ in nos propenſionem fuſius intelleximus, optaſſemuſque occaſionem loci & temporis ferre, ut Legatum Sereniſſ. Regis. Domini conſanguinei noſtri cariſſimi, pro ea, qua decet, dignitate, & noſtra in eam devotione excipere, & quæ exponenda habuit, audire licuiſſet. ſed id quod eſt impedimento, V. Ill. D. ex dictis noſtris Conſiliarijs ad eum miſſis percepit. ac perſuaſum ſibi habeat, alioquin id fuiſſe nobis tam gratum, quam quod ſperemus poſthac, quæ intermiſſa ſunt, maiori cum fœnore reſtitui poſſe. Cæterum ad propoſitionem ſuam deveniendo, nos à principio turbulentiſſimi

ſimi huius ſtatus Bohemiæ, Hungariæ, reliquarumque Provinciarum Auſtriacarum publicè & privatim officium » fideliſſimi amici & conſanguinei egimus, pericula hæc » prævidimus, pacem quietemque publicam occupatione eorum quæ alterius ſunt, non turbandam petivimus, & ſumus conteſtati, ac ingenti dolore vidimus. Videdemus quorundam inordinato deſiderio Cæſ. Majeſt. » eiuſdem Domum, Provincias, Sacr. Rom. Imperium, & nos ipſos in deplorandum hunc ſtatum extremumque quaſi præcipitium inciſſe, probe noſcentes, quid ſanguini, naturæ & familiæ debeamus. Sed in publica hac calamitate, ubi officium conſanguinei & amici veri ſine fructu proceſſit, obſervandum quoque fuit vinculum & obedientia, qua ſupremo noſtro Capiti extreme periclitanti, eamque à Nobis inſtantiſſime efflagitanti, natura, lege, divina & humana, aſtringimur: Et citra injuriam, felonias, ac alias conſtitutionum pœnas, noſtro quamvis maximo labore, ſumptu ac incommodo, jura Cæſaris, & non noſtra, præſtare erat neceſſe: Ita tamen, ut ſemper naturalis inclinationis, conſanguinitatis & amicitiæ memores, Amicum, Conſanguineumque ab incepto deſiſtere, aliena reddere, ſeſe Clementiſſimo Cæſari ſubmittere, ac extremam belli fortunam non tentandam eſſe, etiam ſub ipſo prœlio Pragenſi fuerimus adhortati. Et cum ab illo tempore ob Cæſ. Majeſt. mandatum nobis incumberet, ut Bohemia tota Cæſari, Regi & Domino ſuo reſtitueretur paxque alma tandem reviviſceret, unum hiſce in partibus obſtitit, nempe Mansfeldius, primo ſub ſpecie defenſionis Palatinatus ſuperioris, exiguo numero, poſtea vero pedetentim ad 20. millia in finibus Bohemiæ auctus, deinde in ipſam Bohemiam, & quidem in locum ad irrumpendum aptiſſimum, omnique arte,

præſidio, & inſtrumentis militaribus inſtructiſſimum deductus, ex quo irruptiones, ſpolia, deprædationes, in Bohemiam ipſam, & vicinas partes ſunt ſubſecutæ, noſtris, & alijs, multa mala illata, ac exercitus noſter intra fines Bohemiæ præter expectationem & præcedentes declarationes invaſus. Et cum ex altera parte Marchio Iagerendorffenſis cum Vngaris rebellibus Bohemiam petere, ſeſe cum Mansfeldio conjungere, nos undiquaque includere velle ferebatur, coacti fuimus magno incommodo copias noſtras augere, loca vicina munire, ac tandem contra hoſtem Cæſaris & ſui Regni procedere, & quidem ea via, quæ patuit, (ordinaria præcluſa) per Palatinatum, in quo erât primaria ſedes & confluxus belli. Facile quidem judicandum erat, id ſine omni damno incolarum fieri non poſſe, maxime ſi progreſſum noſtrum impedirent, à parte Mansfeldij ſtarent, in promovendo eius commeatu, munitione & alijs non ceſſarent: & nos de ſua devotione ad parendum commiſſioni, nobis à Cæſ. Majeſt. demandatæ, non redderent ſecuros, ac proinde eos omnes ac ſingulos, & in ſpecie cives & milites Cambenſes, ſingulari ſtudio & declaratione noſtræ intentionis admonuimus, omnemque operam, ſi quid inde illis adverſi accideret, illis obtulimus. ſed præter opinionem non ſolum æquiſſima petita denegarunt, verum ipſi primi, antequam noſter exercitus in Palatinatum ingrederetur incendio & præda ablata, in noſtro territorio ſeſe hoſtes demonſtrarunt, magno, ut videbatur, præjudicio, quo ad progreſſum expeditionis contra dictum Mansfeldium, quem à fronte cum copijs maximis inſtructum, à tergo vero ſtatim primam haberemus inimicam civitatem. Vnde quod amice fieri debebat & potuit, armis coacti ſumus aſſequi, meliuſque longe ceſſiſſet

cessisset res, si armis visis sese dedidissent, quam se & cives in apertum discrimen conjicere, militem nostrum armis, injurijs, calumnijsque, tam verbo, quam facto lacessere, & conari pertinaciter defendere, id quod non erat conveniens, aut in eorum viribus. Quod ni paruissent monitis & nostræ justæ requisitioni, civitas hæc potuisset gaudere, ac uti ijs, quæ ex benigna intimatione nostra intellexit. Proinde quod minus id factum sit, non per nos stetit, sed ipsi, quod inde secutum est, culpæ suæ imputare debent. In ipso progressu nostri exercitus, & inchoato jam opere, Sra. Cæsea. Matas. nobis quidem petitam suspensionem armorum significavit, mentemque nostram expetijt quidem, sed ilico revocare gradum, nego- » tium suspendere, nec erat integrum, nec possibile. maxi- » me quod hæc ipsa suspensio fuerit principaliter ad Serenis. » Infantem Hispaniæ remissa, ac nos cum quibus opus erat, » nondum rem communicassemus. Mansfeldius foret præ foribus, & cuius miles Landgraviatum Luchtenberg jam antea deprædatus, facili negotio, paucisque horis, exercitum nostrum ac provinciam invadere potuisset, præsertim quod Va. Illma. Domo. nullam absolutam potestatem in dictum Mansfeldium & Marchionem Iagerndorffium haberet, aut uti vellet, sed firmatis Inducijs Regam. Digtem Magnæ Britanniæ ad eas observandas Mansfeldium, revocata ab eo & Iagerndoffiio per generum potestate primum inducturam, sin nollet: demum hostem declaraturam. Nullo itaq; modo consultum erat in inducias adeo inopinate & celeriter significatas consentire, hoste instructo ab oculos versante, qui interea præsentissimam nobis nocendi occasionem nancisceretur. Nos revocato exercitu sub figura suspensionis ex Anglia & Belgio, si Mansfeldius nollet, revocationem potestatis

Numquam hoc factum, sed de inferiore tantum Palatinatu ipsius petita sententia.

collatæ, vel ad actionem primam expectaremus processum. Itaque nullo modo à pace & conditionibus æquis alieni, sane putabatur ea multum promoveri, vel etiam ab eo tempore maiori ex parte forte concludi potuisse: Si Vra. Illma. Dom. dum à Cæsarea Majestate reconciliationem Palatini ante omnia urgeret, una etiam, vel prius, conditiones pacis, ut Sua Matas. suasit, adderet. Nec suspensionem denegandam censemus, ubi prius
„ juxta voluntatem Sæ. Cæsæ. Matis. votum Sermæ In-
„ fantis Hispaniæ, quid in Inferioribus partibus rerum ge-
„ ratur, nec non mens eorum, quorum interest, pateat. Res namque magni momenti aliquo deliberandi egent spatio. Sed & in effectu ipsa suspensio tantopere desiderata, & via ad pacem sese offerre videtur, dum ob stipendia aliquot annorum & mensium non soluta, & crescente indies penuria, miles Mansfeldicus impatientissimus sublevationi proximus, nostram opem implorat, ut solutione certæ summæ pecuniarum eius inopiæ succurramus, Palatinatum hunc ab imminenti præsentissimoque periculo deprædationis, devastationis, neve ibidem hybernet, eripiamus, & medio hoc, is miles sine damno dimittatur, Quo ipso provincia hæc aliena ope salvaretur, & incommoda belli everterentur. Modo beneficium hoc agnoscatur, & cœptum opus in medio per diversa consilia & conatus non interrumpatur. Siquidem Palatinatus hic superior, modo velit, ab omni injuria belli, & hostilitate securus reddi, & pax quam primum accelerari potest. Sed dubitare licet, an negotium hoc serio nobiscum geratur, & an non ab alio in præjudicium & nostrum & Cæsaris sit excogitatum. Et miles Mansfeldicus licentiæ nimiæ assuetus, ne sine damno omitti, facile alia consilia capere, vel caput factionis tumul-

Bavarici militis hibernatio est sine incommodo. Scilicet.

multuantis ſibi conſtituere, urbes & loca fortiora occupare, novos motus & ſublevationes hiſce in partibus excitare. Ac pro moderno ſtatu Bohemia nondum ſecura eſſe poteſt. Interea Vngari rebellionem, excurſiones, direptiones, incendia, capturas, occiſiones ad portas Viennenſes uſque; nec non Marchio Iagerndorffenſis exercitum inimicum Cæſari continuat. Palatinatus Inferioris Gubernator Horatius Veer, aliquot Epiſcopatus Spirenſis loca hoſtiliter invaſit. Eidem D. Epiſcopo, & D. Electori Moguntino bellum & hoſtilia denunciavit. reliquis Catholicis vicinis ſimiles invaſiones imminent. Nos in omnem eventum quod e re publica & „ Cæſ. Majeſt. erit attendimus & curamus. Ne tamen pa- „ cis ſalubris & jucundæ, ratio difficilior reddatur, ſpe firma freti, ubi tam Reg. Magnæ Britanniæ Dig. quam Ill. D. V. rem omnem, principia & curſum, cum circumſtantijs mature conſideraverint, reperient, negotium longe alio modo ſeſe habere, nec cauſam eſſe aliquam offenſionis, quam quæ à quibuſdam inprimitur. Eidem Reg. Dign^tas^. officia grata exhibere, deferre: ſalutem publicam Imperij ſatis convulſam, pacemque æquam & juſtam curare, promovere, augere, ſtabilire, ſumus parati, quantum licet, convenit, noſtrarumque eſt virium & partium. Ac ideo nemo actiones noſtras, quarum rationes reddemus ſemper, male interpretabitur, aut offenſione ſiniſtra aliquid adverſi molietur. Alioquin intentiones optimæ diverti, majora pericula ac incommoda loco remedij inferri, ſalus publica impediri poſſet.

Tranſlatione nempe Electoratus Palatini in ipſum Bavarium. Hac cura eſt Reip. ſcilicet.

Illuſtr. D. V. ejus præclari ſcimus eſſe judicij, & prudentiæ, qua facile contraria moderabitur, magnumque ſibi conciliabit nomen. Rem porro nobis gratam faciet, dum Reg. Dig. noſtrum propenſum ad ſerviendum ani-

 mum

mum testatum fecerit: Et nos habet V. Illustr. D. ad benefaciendum promptos. Data ex Castris 27. Sept. 1621.

Illustr. D. V.

Ad gratificandum paratus amicus

MAXIMILIANVS.

Ad Illustriss. Baronem Iohannem Digbyum.

DOMINI DIGBY

Ad

BAVARVM EPISTOLA.

N°. 8.

ACccepi literas à Cels^ne. V^ra. 27. Septemb. ad me datas, proque summo illo favore, quo in ijs immerentem me dignata fuit, gratias quas possum cumulatissimas, submisse refero. Quod responsionem Cel^is. V^æ. de Inducijs attinet, aliena certe fuit illa cum à voto tum ab expectatione mea; magis autem alienum, quod accipio indies de impressione à Cels^ne. V^a. in Palatinatum facta, ejusque incolis in obedientiam vestram sacramenti religione adactis. Cæsarea quippe Maj. in se recepit, sanctèque (ni fallor) promisit, durante hac cum Magnæ Britanniæ Rege, de pace ineunda tractatione, ulteriorem se pro banni Imperialis executione in superiore Palatinatu, commissionem non concessuram. Quantum autem ad priorem, in qua delegata Cels^ni. V^ræ. potestas, Mansfeldium

dium tanquam hostem publicum aggrediendi, & Bohemiam ab imminente procella liberandi: illa dudum exolevit, cum hæc jam sit extra omnem periculi aleam, ille propositis conditionibus de deditione cogitet. Non est ergo quod in malam partem accipiat Cels°. V^ra. si hac in causa Cæsarem appellem, vosque obnixe obtester, ne soli Christiani orbis pacem copijs vestris difficilem reddideritis, quæ tanti Principis conatibus fota, brevi reviviscceret. Quantum ad clausulam illam in literis, qua statuit Cels°. V^ra. negotium hoc à me felicius promoveri potuisse: si propositionibus meis, pacis etiam conditiones adjunxerim, dabit veniam Celsd°. V^ra. si in ulteriorem illius satisfactionem illud adijciam, sæpius me ad hoc cum Cæsarem tum illius consiliarios invitasse; illos autem ad conventum Ratisbonæ indictum, rejecisse, ubi communicanda prius consilia, cum ijs Principibus quorum hac in tempestate ope & auxilio uti fuerant. Et quamvis ad eos magis proprie spectaverit, satisfactionem urgere, quam ad me afferre; non detrectavi tamen sæpius, in me recipere, Principem Palatinum Cæsaris voluntati in omnibus responsurum, quæ aut ad Cæsaris dignitatem, aut ad pacem ditionum suarum instaurandam, offensosve Principum animos leniendos conducerent. Restat ergo denuo roganda Cels^do. V^ra. ut cœptum hoc opus non tantum non impedire, sed & pro viribus promovere dignetur, operamq; suam conferre, ad belli hujus civilis flammam aliquantulum jam sopitam penitus restinguendum. Quæ si in incendium rursus proruperit, merito non Germaniæ tantũ, sed & universo Christiano orbi timenda erit. Extrema quippe pericula, consilia plerunque suggerunt inexpectata & funesta. Quod malum avertat Deus, vestræq; Cels^ni. in animum inducat, Christiani orbis & Imperij paci

quæ

quæ jam V. Celſs. eſt in manibus, conſulere. Deus Opt. Max. Celſs. V. ſervet incolumem.

EPISTOLA CÆSARIS
AD
BAVARIÆ DVCEM
ex Germanico tranſlata.

N. 9. ## FERDINANDVS.

Sereniſſime Princeps, conſanguinee & affinis cariſſime.

EX diverſis V. D. tam ſcripto quam ore factis relationibus, circumſtantialiter intelleximus, quid V. D. ad divertendum & avertendum Comitis de Mansfeld contra noſtrum Regnum Bohemiæ & alios conterminos Principes Catholicos pertinaciter continuatos, partim comminatos, partim in effectum perductos hoſtiles conatus, huc uſque in ſuperiori Palatinatu effecerit; in qua item cum dicto Mansfeldio & ejus militibus in eundem finem ſuſcepta tractatione verſetur. Quemadmodum igitur pro ſingulari beneplacito accepimus, quod V. Dil°. noſtris ſæpius reiteratis inſtantiſſimis & urgentibus adhortationibus & requiſitionibus, vigore prioris à nobis pro recuperatione & aſſecuratione noſtri Regni Bohemiæ injunctæ Commiſſionis haud abſque ſuo ſummo incommodo, locum dederit, obedientiamque præſtiterit: Ita pro tam heroica magnanima ac vere fideli demonſtratione his denuo gratias quam amiciſſime & clementer agimus. Sibi quidem aliqui imagina-

ginari poſſunt, quod dicto Mansfeldio ex ſuis munitis locis & à finibus Regni noſtri Bohemiæ diſceſſo, reque in præfata tractatione verſante, tam à noſtro Regno Bohemiæ, quam conterminis Principatibus ſatis cautum eſſe videatur. Cum autem prædicti ſub auſpicio Mansfeldij milites nondum à ſignis dimiſſi & exauctorati, facile propter non ſoluta ſtipendia tumultuari, haud procul à noſtrorum Imperijque fidelium Principum & Statuum ditionibus poſiti, ex diverſis rationibus coadunati, prædæ magis, rapinis, exſpoliationibus, & ejuſmodi alijs inſolentijs, quam diſciplinæ militari aſſueti, propterea facile caput aliquod aut Electum, ut illi appellitare aſſolent, inter ſe eligere, & tunc maximos periculoſiſſimoſque motus exiſtere cauſari poſſent. Imo vero facile aliquis reperiatur, qui (ſicut ille Hollandicus dux Horatius Veer, in inferiori Palatinatu, poſtquam Proteſtantes uniti militem ſuum dimiſerant, auſus fuit.) prodire, & cum Mansfeldicis alijſve copijs è noſtrorum Imperijque fidelium Statuum numero aliquem hoſtiliter adoriri in ejus ditiones ferro & igne ſævire, imo plane ad exemplum prædicti Horatij Veer, protectionem ſuperioris Palatinatus contra nos ſuſcipere, præcipua loca, oppida & tranſitus occupare, communire, ex illis noſtris Regnis & Regionibus, alijſve obedientibus Principibus & Statibus novos motus excitare aggrederetur, adeo ut licet cum prædicto Mansfeldio omninode tranſactum ſit, hac quidem ratione, quoad perſonam Mansfeldij duntaxat mutatiō facta eſſet, periculum tamen & timor intutus, ad cuius obviationem & averſionem prædicta à nobis V. Dilect. injuncta commiſſio directa eſt, nobis & V. Dil. alijſque fidelibus Statibus etiam nunc, ſicut antea, immineret: uti ante oculos poſitum eſt, quod Horatius iſte Veer, Epiſco-

M patum

patum Spirensem depopulatus est, illius Episcopo, ut & Electori Moguntino, utriusque ditionibus bellum, per literas diffidatorias denunciavit. Iste de Iagerndorff sub nomine banditi Friderici, qui se Comitem Palatinum nominat, cum Betlem Gabore Turcæ mancipio in hunc usque diem, contra nos & nostra Regna & ditiones se hostem apertum exhibet, imo dictus iste banditus Fridericus se ipsum in hunc diem usq; Regem Bohemiæ appellat, ita scribit, ita mandat, gerit & agit. Quæ cum ita sint, nos rebus his in tanto periculo constitutis, tantique momenti, nullo modo consultũ reperire possumus, tractationi prædictæ cum Mansfeldio nimium fidere, & transactione illa, quamvis omnimode conclusa, & in effectum perducta, à superiori Palatinatu recedere, illumque in banditi, tanquam nostri hostis, potestate & devotione relinquere, & Væ. Dilis. exercitum inde deducere. Præsertim, cum præter prædictam necessariam nostrorum Regnorum & ditionum assecurationem, non minus jus fasq; habeamus de Iure & Iustitia (quoniam pro necessaria defensione & recuperatione illorum multos milliones, atque adeo multo plus, quam Palatinatus superioris valet territorium, insumpsimus, imo etiam propterea nostrarum hæreditariarum provinciarum partem impignoravimus, nec adhuc luimus damnum illud acceptum sumptusque in possessis à Friderico isto bandito tanquam hoste nostro & omnium authore) ditionibus resarcire, & illas tamdiu possidere. Quocirca hortamur & requirimus Vam. Dilem. his denuo quam amicissime & clementer, ut virtute sæpius dictæ prioris, Væ. Dilni. demandatæ, inque vigore & cursu suo etiamnum permanentis Commissionis, prędicti Palatinatus territoriũ, inprimis vero illa loca, oppida & passus, ex quibus supradicta pericula & motus timeri maxime possunt,

ſunt, protinus cum amore, aut vi, ſi reſiſtitur, occupare, in noſtram obedientiam redigere, noſtro nomine in fidem recipere, ad Sacramentum adigere, poſſidere, & illius tamdiu ſe aſſecurare velit, uſque dum prælibato periculo & timore penitus liberemur, & hi motus omnimode fuerint ſopiti, & accommodati. His opus laudabile in commune, & ad promovendam ocyus æquam acceptabilemque pacem & tranquillitatem maxime utile, & nobis iterum beneplacitum oppido gratum exhibuerit. Vª. Dilº. quod ſtudebimus &c. Datum Viennæ, 30. die Sept. 1621.

EPISTOLA CARDINALIS LODOVISII
Ad
CAROLVM CARAFFAM,
Epiſcopum Avernanum, Nuncium Pontificium Viennæ.

MOLTO ILL. e R. SIG. come fratello, Nº. 10.

IL S.ʳ conte di Ognate ha fatto repreſentare a N.S. dal S.ʳ Duca di Alburquerq; quanto ſi contiene nell'aggiunto foglio. nel quale non pare che voglia finalm.ᵗᵉ eſprimere altro, che una tacita proteſta ò una chiara ſcuſa, per hauere à reintegrare il Palatino, poiche nè le conſequenze d'inconvenienti, che egli trae dal farſi la guerra, ſon vere, nè li rimedij da lui propoſti, per douerla continuare, ſon neceſſarij, ò ragioneuoli. Si nega dunque la prima conſequenza: Io dico, che i Venetiani, continuandoſi la guerra col Palatino ſieno per muouerla all'Imp.ʳᵉ nel Friuli; anzi habbiamo tutte le ragioni, che ci perſuadono il contrario. e chi è informato delle coſe paſſate, e dello ſtato preſente della Rep.ᵃ che verſo di ſe è inclinatiſſ.ᵐᵃ alla pace, ne può fare ſicuro argumento. E ſimilmente ſi nega, che non componendoſi le coſe col Palatino,

habbia da rimanere l'Austria per sempre impegnata al Duca di Bauiera. perche mentre si voglia dare il Palatinato ò parte di esso, e forse anco il solo Elettorato al Bauaro, si liberarà facilm.te l'Austria, senza hauer bisogno, che i Malleuadori del Palatino rendano il denaro speso all'istesso Bavaro: e sarebbe assai più giusto, e più gioueuole, che un Principe Catholico fosse di quello possessore, che il rimetterui il capo de Caluinisti, l'emolo dell' Imperatore, & il perpetuo inimico della casa d'Austria. Quanto poi a i rimedij che propone il conte Ognate, il primo della lega da farsi dal Papa coll' Imp.re, ò non bisogna, ò non basta. non bisogna, perche la guerra non si mouerà: e di più, perche il Papa non può esser in fatto più collegato di questo, che sia con sua M.tà Cesar. mentre li porge aiuti continui: e così stima e procura la grandezza & interessi di lei, come se fossero suoi proprij. Non basta poi, perche se a i Venetiani metesse conto il mouere l'arme contro di Cesare, non sene asterrebbeno forse, perche S.S.tà fosse collegata con la M.tà sua, ò lo farebbeno solamente in caso che temessero, non che col Papa si congiungessero altri principi a danni proprij. onde non bastando la sola lega coll' Imperatore per riprimergli, ciò sarebbe un voler metter sua B.ne in necessità di far una più ampia contra di loro, e di tirarui particolarmente il Re Cat.co ma nell'animo di N.ro Sig. tanto amatore della pace d'Italia, e padre commune, non deono cadere simili pensieri. Il secondo rimedio, di cauare un Millione e mezo del castel S. Angelo, e prestarlo all'Imperatore, non è necessario, mentre si possa senza il danno euidente, anzi con chiariss. beneficio della Relig. Cat. e dell'Imperio liberar l'Austria, accommodandosi più tosto le cose col Bauaro, che col Palatino. nè sarebbe oltre a ciò honesto l'aggrauar tanta la sedia Ap.ca pur troppo inuolta in grauissime necessità, senza quasi niuna speranza di esserne mai ristorata; là doue dall' altro lato, ha molto maggior modo e cagione il Re Cat.co di souuenire di quella somma di danari a S. M.tà Ces. e di conseruare ad un hora nella

sua

sua famiglia l'antico patrimonio, ond'ella prenda il nome. Per la qual cosa apparisce chiaram.te non eßer il discorso del conte d'Ognate altro, che una scusa ò pretesto da coprire la risolutione, che hanno gia pensato di fare di reintegrare il Palatino, per compiacere il Re d'Inghilterra, nè hauerlo nimico nella guerra contra gli Olandesi. Mà piaccia a Dio che questo loro proponimento non sia per eßer l'ultima ruina della Relig.ne Cat.ca e dell' Imperio, & dell' isteßa casa d'Austria in Germania: e che gl'Inglese, ritornato il Palatino in istato, non truoui cento pretesti di aiutare, come farà, gli Olandesi, e di riuoltare anco contro il Re Cat.co l'isteßo Palatino con Danimarca, e gli altri collegati protestanti. perche ogni altra cosa vogliono tutti, che l'oppreßione de gli Olandesi, ò l'accrescimento della potenza de gli Spagnuoli in quelle parti. Onde sarebbe pur meglio, che rimanendo abbattuto e disfatto il Palatino, & augmentati i Cat.ci di forze, si haueßero i nimici meno potenti. Mà Iddio lascia alle volte che c'inganniamo con la presente apparenza d'intereßi, per douerci poi castigare con più ragione. Ho voluto dar conto a V. S. di tutto ciò, perche, considerate le proposte, che si fanno a S. S.tà, scuopra meglio gli altrui andamenti, & se ne vaglia opportunamente, non meno per giustificatione della S.tà sua, in euento che bisognaße, che per opporsi quanto potrà il più a gli altrui mal composti disegni. Et il S.r Dio la conserui sempre felice V. S. la quale si contenterà di far questa commune al P. Fra Giacinto.

Al Noncio di Vienna.

Come fratello affettionatißimo

Il. CARD. LVDOVISI.

LATINA VERSIO.

ILlustrissime & Reverendissime Domine, fratris mihi loco colende. Comes Ognatensis per Ducem Alboquercetanum, Pontifici Domino nostro, proponi curavit, quæ in adjuncto scripto continentur. Videtur sane illo aliud non quærere, nisi aliquam tacitam protestationem, vel potius manifestam excusationem, si restitutio Palatini procedat. Nam nec consequentiæ, quibus ille ex belli consilijs multa incommoda colligit, veræ, neq; remedia, quæ ad continuationem illius proponit, necessaria, aut rationi consentanea sunt. Negatur enim prima cõsequentia, puta, quod si bellum continuetur cum Palatino, interim Veneti in Foro Iulij Imperatori bellum moturi sint. Imo omnes rationes contrarium potius nobis persuadent. Nam quisquis cum preteritorum, tum status præsentis in Republica Veneta gnarus est, & scit, illam nihil magisquam pacem expetere, tuto ex illo argumentum nequaquam ducere poterit. Similiter negatur, quod rebus cum Palatino non compositis, Austria superior pignoris nexu semper penes Bavariæ Ducem mansura sit. Nam si illi Palatinatus vel pars eius concedatur, vel Electoralis saltem dignitas, facillime Austria illo onere liberabitur, nec opus erit, ut sponsores Palatini sumptus factos Bavaro refundant. Longè etiam justius maiorique cum utilitate conjunctum est, Principem aliquem Catholicum possessorem esse Palatinatus, quam in illum restitui, caput Calvinianorum, & Principem Imperatoris æmulum, perpetuumque inimicum Domus Austriacæ. Quantum vero ad remedia, quæ Comes de Ognata proposuit, attinet, primum sane de fœdere inter Papam & Imperatorem faciendo aut necessarium,

ſarium, aut ſufficiens non eſt. Neceſſarium non eſt, quia bellum nullum erit, & quod magis, Papa non poteſt ma- » gis eſſe confœderatus cum Imperatore, quam nunc, cum » continua auxilia illi ſubmittat, & hoc pacto magnitudinem ipſius & emolumenta non minori cura promovere ſtudeat, quam ſalutem propriam. Sufficiens porro non eſt, quod ſi Veneti animum inducerent ad bellum inferendum Imperatori,non ea de cauſſa hoc omiſſuri eſſent, quod Papa in fœdus cum ipſo iviſſet, aut ſane illo duntaxat caſu hoc facerent, quo timerent, ne in ipſorum detrimentum alij quoque Principes cum Pontifice ſe conjungerent. Cum igitur ſolum fœdus inter Papam & Imperatorem ad illos reprimendos non ſufficiat, cogeretur ſua B°. illud longius extendere, contra ipſos, & inprimis accerſere in ſocietatem fœderis Regem Catholicum, Verum in animum Pontificis, Domini noſtri, qui pacem Italiæ tantopere deſiderat, & qui communis parentis loco eſt, non debent eiuſmodi cogitationes deſcendere. Alterum remedium,quod ex Caſtello S. Angeli depromi debeant xv. centena aureorum millia, mutuo Imperatori danda. nec hoc neceſſe eſt, quamdiu ſine evidenti damno, imo cum maximo beneficio religionis Catholicæ & Imperij liberari poſſit Auſtria, rebus cum Bavaro » potius, quam Palatino, transaltis. Neque etiam honeſtum eſſet, tantopere gravari ſedem Apoſtolicam, quæ alioquin graviſſimis difficultatibus involuta eſt maxime,ſine ſpe,ut apparet, ullius reſtitutionis.Ex altera vero parte Rex Catholicus longè promptiora media habet, quibus ſumma illius pecuniæ Cæſar. Majeſt.ſubvenire commode poſſit,ut ita ſimul conſervet in familia ſua avitum patrimonium, à quo etiam nomen ducit. Ex quibus omnibus clariſſime apparet,diſcurſum Comitis Ognatenſis nihil aliud

eſſe,

esse, quam excusationem aliquam, aut prætextum, quo tegere velint animi sententiam. quam jam conceperunt de restituendo Palatinum, ut Regi Magnæ Britanniæ satisfaciant, ne illorum in bello Belgico hostis fiat. Sed faxit Deus, ne hæc ipsorum intentio ultima ruina sit religionis Catholicæ & Imperij, & ipsius adeo Domus Austriacæ in Germania, & ne Rex Angliæ, restituto Palatino in statum pristinum, mille prætextus inveniat, quibus, ut omnino faciet, auxilia Belgis præstita excuset, atque adeo ipsum Palatinum, una cum Rege Daniæ, contra Regem Hispaniæ concitet, sicut reliquos Protestantes Principes, qui omnes quidquid potius malint, quam aut oppressionem Hollandorum, aut accretionem potentiæ Hispanicæ in illis locis. Quocirca longe consultius esset, manere Palatinum omnimodo oppressum, & perditum, & augeri Catholicorum vires, si inimicos minus potentes habeant. Sed Deus interdum permittit, ut species præsentis utilitatis nos decipiat, quo postea maiori ratione nos punire possit. Et hæc quidem omnia Dom^ni^. V^ri^. exponere volui, ut consideratis propositionibus suæ S^ti^. factis, rectius in aliorum consilia penetrare, illisque oportune uti possit, non tantum, ut quotiescunque necessitas postulat, defendere S.^tem^ suam valeat. Sed etiam pro virili resistere, aliorum pravis intentionibus. Deus illam felicem conservet. Neque grave sit Dom^ni^. V.^æ^ hanc Epistolam cum fratre Hyacintho communem habere.

CARDINALIS LODOVISIVS.

LEGA-

LEGATI HISPANICI Nº.11.

In aula Cæsarea,

COMITIS de ONIATE

Propositio Pontifici Romano facta.

Fray Giacinto, a quien V. S.dad embio a Alemania con la Comission en que V. S.dad exhorta al Emp.or passe con la guerra adelante, por ser contra herejes, enemigos perniciosos dela Santa Madre Yglesia, inobedientes a V.S.dad, y que transfiera el Emp.or el boto Electoral en el Duque de Bauiera, por ser Principe Catolico, y que le ha merecido, por el ayuda y cuidado que ha puesto in las guerras que se han offrecido entre el Palatino, a quien V. S.dad pide, sea depuesto del dicho boto, y castigado como mereçe su rebelion y delito: desseando pues el Emp.or ajustarse con el Santo Zelo de V. S.dad, y tomar sus paternales consejos; ha mandado a sus ministros, que le consulten el estado en que las cosas de la paz y de la guerra del Ymperio se hallan; para conforme a ellas yr disponiendo a los medios de su exsortacion de V.S.dad; y dizen los inconvenientes que aqui iran apuntados, y los medios por donde se pueden saluar. El primer inconveniente es, que si su Mg. Ces.a passa adelante con la guerra, se tiene por cierto que los Venecianos rompan la guerra por la parte del Frioli y Croacia; respeto de la coligacion, y aliança que tienen hechos con Olandeses y el Palatino: de lo qual se siguieran grandissimos inconvenientes, per no poder el Emperador assistir a esta guerra defensiva; respeto de la ocupacion en que se halla. El segundo inconveniente es, que durando la guerra, se impossibilita el Emp.or de poder desempeñar el Austria superior, que tiene empeñada oy en el Duque de Bauiera por suma de millon

N *y medio*

y medio poco menos. y si la desempeña luego quitando los muchos interesses que todo dia corren de los cambios, le sera facil el hazerlo; porque los Valedores del Palatino y el mismo le offreçen tanta suma de dinero, que basta a desempeñarla, y es sin duda que el Emp.or dessea de bolver a la casa d'Austria esta parte tan importante en ella, por tener el nombre de ally, y por otras mil comodidades que se le siguen. De manera, que de passar con la guerra adelante, abentura a perder la parte que tiene en el Friuli y el Austria superior, si nos es que V. S.dad le ayude y lo remedie con los puntos, que aunque pareçen difficiles a los principios, mirados consideablemente, no los son.

El primero es, que V. S.dad se soligue con el Emperador para esta guerra, pues assicomo assi lo esta con las gracias y ayuda, que le da para ella, con muy poco mas que haga. con lo qual los Venecianos viendo a V. S.dad ynteressado alli, no se atrebaran a intentar la guerra por el Friuli: dando la giusta disculpa a sus aliados, pues de romper con V. S.dad se les siguiran mayores daños. con la qual liga y coligacion cobra grande nombre la sede Apostolica; y grande temor y confusion los herejes; viendose perseguidos de la cabeza y Señor de la Yglesia; con que interessa a todo il mundo que siga pisadas tan santas y pias. El segundo inconbeniente se remediara con que V. S.dad mande prestar al Emp.or el Millon y medio que deue al Duque de Bauiera, sel empeño de la dicha Austria superior, mata los yntereses que le van ympossibilitando cada dia mas. Y para pagar el Emperador a la Sede Ap.ca este emprestido, consignara cada año quinientos mil florines en las rentas ordinarias de aquella provincia, que es la mas segura paga del mundo, por estar el Austria superior tan apartada de estas guerras y tan fertil y segura. y vee se claro la seguridad de la prenda, pues el Duque de Bauiera la tuuo por tal, quando dio el Millon y medio sobre ella. De manera que V. S.dad uiene a hazer lo mismo que el Duque hizo; y gana tan

tan gran gloria, como redimir esta provincia sin auenturar nada; pues el Emp.or fuera de la consignacion, que luego hara en manos de la persona que V. S.dad nombrara para esta cobranza, como dueño de aquellas rentas hasta estara pagado, la asegurara con todo lo demas del Imperio y destar el dinero que V. S.dad tiene en el castillo de Sant Angel, no se le sigue interesse ninguno, ni aora se ofrece cosa que contradiga esta suma amistad y socorso. V. S.dad mirara lo que mas fuere servido: considerando, que, si viene en hazer lo que aqui se le suplica, se sigue en la Christianidad ymmensos aumentos, y a V. S.dad glorioso nombre. Y particolarmente me pide el Emperador, suplique a V. S.dad el grande secreto destos tratados; no quieriendo que passen por mas manos que las de V. S.dad el S.r Cardenal Ludouisio y las mias.

Del Conte de Oñate al Papa.

LATINA VERSIO.

Frater Hyacinthus à S.te V.a in Germaniam missus ad Imperatorem, ad continuationem belli exhortandum est instructus, utpote quod contra hæreticos S.tæ Matris Ecclesiæ inimicos perniciosos, Sanctitatique Vestræ inobedientes geratur: Vtque Imperator votum Electorale in Ducem Bavariæ, Principem Catholicum, inque bello contra Palatinum gesto, ob latas suppetias, singularemque adhibitam diligentiam optime meritum, transferre non gravetur: cui Palatino V.a S.tas votum Electorale abrogare, eumq; secundum merita rebellionis, delictorumque castigare petit: Cum igitur Imperator S.o V.æ Sanctitatis zelo sese conformem reddere, eiusq; paternis consilijs aurem præbere magnopere desideret, mini-

ſtris ſuis mandavit, at ponderato præſentis belli paciſque Imperij ſtatu, ſimiliter media ad ſatisfactionem exhortationis V. S. neceſſaria diſponeret: qui difficultates ſubnexas, & media, quibus ſalvari poſſunt, declaravere. Primum inconveniens eſt; Si Cæſarea Ma.tas ulterius in Bello progreditnr, quod metuatur, & quaſi pro certo habeatur, Venetos rupta pace, bellum partibus Fori Iulij, Croatiæque, reſpectu fœderis ſocietatisque cum Batavis Palatinoque initæ, illaturos. quam rem maximæ difficultates ſequerentur: quod Imperator alijs diverſis in locis occupatus, bello huic defenſivo minus quam par erit, vacare poterit: Secundum inconveniens eſt, quod durante bello, impoſſibile erit Imperatori liberare Auſtriam ſuperiorem, Duci Bavariæ pro quindecim Auri tonnis, aut parum minus oppignoratam: & ut eam ſtatim liberare poſſit, ſublatis magnis uſuris, quæ ſummam illam quotidie augent, res erit facilis negotij, quod ſponſores Palatini æque ac ipſe Palatinus ſummam ad liberationem ſufficientem offerant. Eſtque res extra omne dubium, Imperatorem Provinciam illam tanti momenti ad Domum Auſtriacam ſummis viribus reducere conari, quod & nomen, & mille alias commoditates inde ſortiatur. Vnde apparet continuationem belli Imperatorem in periculum Fori Iulij Auſtriæque Superioris perdendæ inducere, niſi V.a S.tas ſuo patrocinio ſequentia ſalutaria remedia adhibeat. quæ, quamvis ab initio difficicilia eſſe videntur; paulo altius tamen conſiderata, facilia plane invenientur. Primum eſt, quod S.tas V.a ſeſe Imperatori in hoc bello adjungat, cui nihilominus favore & auxilio ſuo jam jam ita conjuncta eſt, ut id parum aucto ſubſidio fieri poſſit. Cui bello Sanctitatem Veſtram Veneti implicatam videntes, nunquam aude-

audebunt Imperatori in partibus Fori Iulij bellum inferre; justam excusationis causam apud Confœderatos habentes, quoniam cum V. S.te bellum gerere multorum damnorum occasio illis esset futura. Quæ Vnio & conjunctio nomen excelsum Sedi Apostolicæ, hæreticis vero timorem & confusionem est allatura, videntibus se à capite & Domino Ecclesiæ persequi. Atque ita S. V.a exemplo suo totum mundum, ut tam sanctis & pijs semitis insistat, haud dubio incitabit. Secundum inconveniens hoc modo tollitur, si S.tas V.a Imperatori quindecim illas auri tonnas, quibus Bavariæ Duci est obstrictus mutuo dabit usuris intercisis, quæ quotidie magis ac magis impossibilem reddunt solutionem. quæ summa ab Imperatore sedi Apostolicæ hoc modo solvi potest, si singulis annis quingenta florenorum millia ex reditibus illius provinciæ ordinarijs in solutionem accipiantur. quæ omnium solutionum securissima est; quoniam Austria illa superior ab omni tumultu bellico est remota, quieta & fertilis. Quæ securitas vel inde apparet, quod Dux Bavariæ illam talem judicaverit, cum Imperatori pretium oppignorationis tradidisset. Ita ut S.tas V.a idem quod Dux Bavariæ agens, magnam gloriam liberatæ illius provinciæ, sine ullo detrimenti periculo sit consequutura: quandoquidem Imperator citra realem illam consignationem, quam in manus personæ, ad hanc rem à S.te V.a tanquam à Domino illorum redituum, ad terminum finalis solutionis usque, denominatæ, ex tempore est facturus. Assecurabit insuper hanc summam in totum residui Imperij. Et cum pecuniæ S.tis V.æ Castro S. Angeli, sine ullo pensionum lucro sint inclusæ, nullam „ causam sufficientem jam video, quæ auxilium hoc impe- „ dire possit. Sanct.as V.a ad id respiciat, quod magis com-

modum judicabit, immensos Reipubl. Christianæ progressus, suique nominis gloriosam memoriam, si precibus hisce nostris sese obsequentem declarabit, perpendens. Maxime vero rogat Imperator, ut hæc omnia secretissima habeantur, ad nulliusque præter V. S.tis, Cardinalis Lodovisij, & meam notitiam perveniant.

COMES de ONIATE ad Pontificem.

CAROLI CARAFFÆ,

EPISCOPI AVERNANI,

No. 12. **Nuncij Papalis in aula Cæsaris Epistola responsoria ad superiorem Cardinalis Lodovisij.**

GL' inconvenienti che nella scrittura mandatami da V. S. Ill.ma adduce il Conte d'Ognate intorno alla guerra ò concordia col Palatino, hanno così poco fondamento, quanta convenienza si habbiano i rimedij ch' eli propone. percioche non è niuno che sappia ò asserisca, che i Venetiani siano collegati col Palatino: nè persuade la Lega fermata (se pur è vera) da loro con gli Olandesi a commune difesa della libertà, che per rispetto del Palatino, non compreso ne nominato in essa, habbiano i Venetiani (quando anche fossero alienissimi della quiete) a muouer guerra offensiua

offensiua a Cesare. & essendone astenuti, quando le cose de gli Austriaci erano in pericolo e titubauano, non so qual ragion voglia, che habbieno a risolversene adesso. E se hauessero voluto dichiararsi Collegati del Palatino col muouer l'armi ad offender gli stati del Frioli, qual più bella occasione poterono mai haverne, che mentre egli era Padrone di tutta la Bohemia, delle Prouincie Incorporate à quel regno, hauesse a sua diuotione l'Austria superiore, e poco manco de l'Inferiore, e l'unione de Caluinisti armata a suo fauore? Hoggi abbattuto esso Palatino, priuo di forze, & hormai di tutti gli stati, dissoluta in maniera la Corrispondenza Caluinistica, ch'el Marchese di Brandeburgo si truoua contro i medesimi uniti con quattro mila Soldati al seruitio del Re Cat.co & ritornati alla diuotione di Cesare, non solo gli stati proprij, ma quasi tutto l'Imperio; non penserei che gli Spagnuoli stimassero i Venetiani tanto priui di giuditio, che intraprendessero in questo tempo impresa tanto sproportionata. Quanto al modo di disempegnar l'Austria Superiore, è cosa chiara, che nè più breue, nè di meno incommodo à Cesare può trouarsi, quanto il concedere la voce Elettorale e'l Palatinato superiore al Duca di Bauiera. Poiche vogliono gli Spagnuoli, ch'el Duca habbia pretensioni esorbitanti, (che pure spero in Dio col mezo del Padre Giacinto si ridurranno a segno conueniente:) chi può meglio aggiungere in cotanti quella somma, che mancasse all' intera sodisfattione del credito del Duca, che gli Spagnuoli? i quali con questo mezzo del far qualche sborso potranno acquistar qualche legitimo pretesto di ritenersi il Palatinato Inferiore, del quale so, che hanno così gran desiderio. E quando mancassero tutti questi modi, si sa che l'Austria superiore non stà in mano di S. A. per sicurtà del suo credito; ma per sodisfattione

de gl'in-

de gl'interessi senza soggiacère à Cambij, (come dice Ognate) servono le rendite di essa, delle quali deue il Duca render conto, è'l sopravanzo restituire ò mettere in defalco della summa principale: & i feudi particolari, & i beni confiscati à ribelli sono tutti riservati a S. M.ta. la quale infeudandoli di nuouo, può da essi, mentre non si lasci ingannar da suoi ministri (e questo, se l'amassero, dourebbono insegnarli gli Spagnuoli) ritrar non picciola somma di danari, che congionta con le rendite della prouincia, che sono grandissime, in non molto longo tempo può liberare il Paëse da tutto 'l debito, che la M.ta sua ha con Bauiera. oltre che quei popoli, che malvolontieri stanno sotto 'l giogo Bauarico, si crede che per tornare sotto 'l piaceuol Dominio Austriaco, contribuirebbero qualche considerabil quantità di danari. In somma, io ho il tutto per Chimere & inventioni del solo Conte d'Ognate; il quale in questo paëse uuol tiranneggiare ogni cosa. il quale a guisa d'un nuouo oracolo pretende non solo, che si segua il suo consiglio in tutte l'occorrenze, e massime nelle più ardue; mà con l'ambiguità delle risposte, e col non lasciarsi intendere, procura tener quà sospeso ognuno circa le sue attioni e pensieri. e nissuna cosa più mi fa credere, che in questa materia egli si sia gouernato di sua testa, quanto il trouar così gl'inconvenienti allegati, come i rimedij proposti tanto lontani da ogni convenienza e probabil ragione. perche se cio fosse stato consultato o conferito con altri, si saria resoluto ò di non far questo tentatiuo per indur N. S. al loro intento, ò di mezzi più efficaci e verisimili. Mi varrò di quanto V. S. Ill. m'auertisce, secondo richiederà il tempo e l'occasione: e di tutto darò parte al Padre Giacinto al suo ritorno, come mi commanda V. S. Ill. alla quale, &c. Vienna 2. Ottobre. 1621.

Del Nuntio di Vienna, al Card.l Ludouisi in Roma.

L A T I-

VERSIO LATINA.

INcommoda illa & inconvenientia, quæ Comes Ognatensis de bello aut pace cum Palatino, adducit in illo scripto, quod Illustr. Dom. V. mihi transmisit, tam parum fundamenti habent, quam rationis remedia quæ ille proponit. Cum nemo sit, qui sciat aut afferat, Venetos cum Palatino confœderatos esse, neque movet fœdus, (si tamen illud perfectum) inter ipsos & Hollandos ad defensionem communis libertatis ictum. quod Palatini causa, qui illo neque nominatus, neque comprehensus est, bellum offensurum Cæsari illaturi essent. Nam cum illo abstinuerint, rebus Austriacorum adversis ac fluctuantibus, nullam rationem video, cur nunc illud suscipere velint. Quod si etiam Confœderatos se esse cum Palatino sumptis armis ad invadendum Fori Iulij provincias, ostendere voluissent, an magis pulcram occasionem habere potuerunt, quam cum ille totum Regnum Bohemiæ, cum incorporatis Provincijs tenuit, simul etiam Austriam superiorem, & parum abest, inferiorem quoque, sibi devotam, & unitos pro se armatos habuit? Nunc cum Palatinis devictus, omnibusque viribus ac simul ditionibus suis exutus, uniti autem Calvinistæ adeo dissoluti sint, ut etiam Marchio quidam Brandenburgensis contra ipsos Regi Catholico cum IV. millibus militum inserviat: & reductis sub Cæsaris obedientiam non tantum Provincijs hæreditarijs, sed toto fere Imperio; vix credere possum, Hispanos existimare, Venetos omni judicio adeo destitutos, ut hoc tempore bellum tam intempestivum velint suscipere. Quod vero attinet ad modum, quo Austria superior pignoris nexu

O liberare

liberari possit, res est clara, à Cæsare neque breviorem, neque minus incommodum reperiri posse, quam ut in
„ Bavarum vocem Electoralem una cum Palatinatu supe-
„ riore conferat. (quoniam Hispani putant, Ducis prætensiones esse exorbitantes, quas tamen, ut spero in Deum, pater Hyacinthus ad terminos æquabiles reducet.) Et quis rectius posset in pecunia numerata illam summam, quæ Bavaro ad solutionem totius crediti debetur, adjicere, quam Hispani? Posito etiam, cuncta illa media deficere, nihilominus certum est, Bavarum in securitatem rei creditæ pignoris jure Austriam possidere. Sed loco pensionum, ne usurarum onus subeundum sit, (quod refert Ognatensis) reditus annuos succedere. quorum rationes Dux tenetur reddere, & quod superest, aut restituere aut computare in summam capitalem. Feuda quoque particularia & bona rebellium confiscata cuncta Majest. Cæs. reservata sunt, quæ si velit, ut feuda nova, conferre in alios, tum licet ei ex illis, modo non patiatur se à ministris decipi. (quod illum Hispani, si bene illi vellent, monere debebant) non exiguam pecuniæ summam conficere. qua adjecta ad reditus provinciæ, qui sunt sane maximi, non adeo longo temporis spatio illa ab omni ære alieno, quo Bavaro jam obligata est, libera-
„ ri posset. Insuper credendum est, subditos illos, qui ini-
„ quo animo ferunt jugum Bavaricum, ut sub mitem Austriacorum dominum redeant, libenter magnam pecuniæ summam collaturos esse. Vno verbo, ista omnia mihi videntur esse chimeræ & inventiones solius Comitis d'Ognate, qui pro sua libidine dominari vult his locis in omnibus rebus, quique prætendit non tantum suum in cunctis emergentibus, maxime illis quæ majoris momenti sunt, consilium, tanquam novi cujusdam oraculi, am-

li, amplectendum esse: verum etiam ambiguis responsis, & tectis animi sui sensibus, cunctos in suspenso tenet, circa actiones & intentiones suas. Nulla etiam res magis me adducit, ut putem, illum in hac materia secutum esse suum cerebrum, quam quod reperio, tam adducta ab ipso incommoda & inconvenientia, quam etiam proposita remedia, ab omni prorsus decoro & probabili ratione, aliena esse. Nam si cum alijs rem in colloquium aut consultationem deduxisset, conclusum forte fuisset, aut non tentandum esse, Pontificis Domini nostri animum inducendum ad voluntatem illorum, aut media proponenda fuisse, efficacia magis & verisimilia. Ego curabo, quantum Illustr. Dom. V. mihi subijcit, prout tempus & occasio postulabit, & cuncta illa communicabo cum patre Hyacintho, ubi redierit, uti mandat Dom. V. Illustr. cui me commendo, &c. Viennæ 2. Octobr. 1621.

D. C. CARAFFA Episcopus Avernanus.

EPISTOLA BARONIS DIGBY *Ad* CÆSAREM.

N°. 13.

Invictissime Cæsar.

Viginti jam elapsi sunt dies, ex quo Vienna discessi, quo in spacio M.tis V.ræ edictum, de sanciendis inducijs, avide exspectavi. In eam spem evectus perbenigna illa responsione, quam non tantum à consiliarijs vestris, sed à sacra etiam vestra Majestate præsens acceperam. Qua fiducia fretus, ubi primum Bavariam attigi, dedi ea de re ad Ducem literas, tunc in Castris militantem, à quo responsum retuli, non (ut confido) alienum magis ab expectatione mea, quam à M.tis vestræ mente & sententia. Inducias respuit, & superiorem Palatinatum armata manu ingressus, incolas varijs in locis, (quod audio) in suam obedientiam sacramenti vi adhibita compellit. Ad vestram ergo M.tem confugio, (ut quæ ad hujus negotij clavum sedet, seriamque cum Magnæ Britanniæ Rege, Domino meo, deliberationem inijt, de discordijs his sine sanguinis jactura componendis) eamque humillime obtestor, ne gravate ferret, si sentiam, impressionem hanc à Duce Bavariæ in Palatinatum factam injustam esse: a Consiliarijs Majest. Vestræ sane edoctus, dictum Bavariæ Ducem, non tantum non accepisse, sed nec accepturum a Majest. Vestra potestatem pro ulteriore banni Imperialis executione.

Quod

Quod autem priorem commiſſionem attinet, de Mansfeldio perſequendo Regnoque Bohemiæ ab impendente periculo vindicando, illa certe jam dudum antiquat fuit: deditione à dicto Mansfeldio facta, eiuſque exercitu à Bohemiæ finibus relegato. Cum ergo factum hoc Ducis Bavariæ, neque nova aliqua poteſtate, à Majeſt. Veſtra illi demandata, neque veteri nitatur, inde liquido conſtat, eum hoc in negocio ſibi potius quam Majeſt. Veſtræ ſtudere. Hæc pro officio meo Majeſt. Veſtræ ſubmiſſe exponenda duxi, non diffidens, eam pro innata ſibi prudentia, & bonitate, malis his, priuſquam latius ſerpant, remedium allaturum, ne extrema pericula iſtiusmodi conſilia pariant, quæ in cladem totius orbis Chriſtiani cedant. quam non ſine ſummo animi dolore, brevi ſubſequuturam præſagio, niſi divina miſericordia pioque M^tis. Veſtræ conſilio mature propulſetur. Deus Opt. Max. M^tem. Veſtram diutiſſime ſervet incolumem. Datum Noribergæ 5. Octob. 1621.

EPISTOLA

DVCIS BAVARIÆ

Ad

BARONEM DIGBYVM. No.14.

Illuſtriſſime Domine.

Reſponſorias Ill.^mæ D.^is V.^æ ad noſtras literas 27^mo præteriti menſis Septembris ad eam ſcriptas, accepimus, atque ex ijs animadvertimus, plurimum ipſi tam circa noſtræ expeditionis ſtatum, quam Cæſ.^æ

M.tis jussa & utriusque scopum veræ ac genuinæ informationis deesse. Asserit enim nos impressionem in superiorem Palatinatum fecisse & incolas in obedientiam nostram sacramenti religione adegisse. Norunt autem omnes, qui post ingressum nostrum indictum Palatinatum, vel vi militari adacti, vel ultro sese offerentes, quorum sane maior pars est, juramentum præstiterunt, se nullatenus in obedientiam nostram sacramenti vinculo coactos, sed ab ipsis petitum ac præstitum fuisse de non officiendo nobis, nec de proficiendo adversarijs, juramentum, utpote non injustum, sed Cæs.æ M.tis mandato conforme & debitum.

Præterea scribit Ill.ma D.o V.a nostram commissionem, in qua nobis potestas de liberanda Bohemia ab imminenti periculo Mansfeldij concessa fuit, exolevisse. Quod unde ipsi suggestum sit aut in mentem venerit, ignoramus, hoc tamen probe scimus, & sciunt alij æqui rerum arbitri, nec Bohemiam nec nostras & vicinorum Provincias à periculis & invasionibus Mansfeldij immunes esse, donec eius copiæ militares dissipentur. Commissio insuper à Cæs. Majest. nobis injuncta quod expiraverit, tantum abest, ut novis etiam rescriptis ac mandatis fuerit repetita, quod ex incluso literarum à S.a M.te Cæs.a hisce diebus ad nos directarum exemplo videre, & exinde duo præsupposita aliter atque ipsa sibi persuadet, sese habere, intelligere potest. videlicet Mandatum Cæsareum non exolevisse, & nos multo remissius ac restrictius atque Cæs.æ M.tis mens fuerit, ob certos respectus executos fuisse, eamque moderationem adhibuisse. Proinde liberum & integrum Ill.æ D.is V.æ est Cæsarem appellare. Nos jussis Cæsareis, & quidem moderatius, ut dictum est, paruimus.

Est Epistola supra posita, quam ut videtur, ad suggestionem Bauari Cæsar scripsit.

Quid

Quid vero Cæſ.am M.em ad hæc reſcripta moverit, nobis inquirere aut indagare non convenit; conjicere tamen cuilibet facile licet, quod, nempe, Princeps Palatinus non tantum nullum pœnitentiæ aut ſubmiſſionis ſignum hactenus ediderit, verum etiam in cœpto ſuo contra Cæſarem perſtiterit, & adhuc perſiſtat, alioſque eo invitet. cuius rei teſtimonium eſt, quod de propoſitione Hollandicis Statibus facta, ad nos perfertur, ut patet ex incluſa copia. Quæ porro ſit mens noſtra, & quis noſtri ingreſſus in Palatinatum finis, ex nuperis literis & mandato Cæſ.o intellexiſtis.

Quapropter, ſi & Mansfeldius & Palatinatus incolæ ſibi conſultum velint, Cæſareis juſſis parere convenit. Interim Ill.a D.o V.a perſuaſum ſibi habeat, nos nihil niſi » pacem & ſecuritatem tranquillitatemque publicam » quærere. Vnde eſt, quod ad præcavendam Chriſtiani ſanguinis effuſionem pacemque tanto celerius reducendam, tractatum ab ipſo Mansfeldio propoſitum amplexi fuerimus, & in conditiones honeſtas conſenſerrimus, quod univerſo orbi teſtimonium ſit, nos pacem non reſpuere, quin eam depoſcere, quærere & deſiderare. Proinde alij qui hanc impediunt, ſibi, non nobis, culpam & quæ funeſta Chriſtiano Orbi inde evenire poſſunt, adſcribant. DEVS Ill.m D.m V.m longum ſoſpitet, Ex Caſtris noſtris ad Schwartzfelden, die 2. Octob. A°. 1621.

Insignis aequivocatio.

Ill.e D. V.a

ad gratificandum paratus amicus

MAXIMILIANVS.

EPISTO-

No. 15.

EPISTOLA CÆSARIS
AD
BARONEM DYGBIVM.

FERDINANDVS.

NObilis, sincere dilecte, Meminimus sub vestrum ex aula nostra Cæsarea discessum, quod ad petitam armorum suspensionem attinebat, id quoque placuisse, præter eas literas, quas hac de re ad Ser.mam Isabellam Claram Eugeniam, Hispaniarum Infantem, consobrinam ac sororem nostram charissimam, dedimus, quam primum Ser.mi Bavariæ Ducis, nostri ad regnum Bohemiæ ab omni hostium vi defendendum, Commissarij, consilium, quod per Legatum & literas petebamus, ad nos pervenisset, super petitis inducijs ulterius voluntatem nostram declararemus. Nunc ita cecidit, ut quo tempore Legatus noster Bavariæ Ducem accessit, is cum exercitu adversus Mansfeldium, cum regno nostro Bohemiæ, tum vicinis principibus imminentem, proficisceretur, eaque de causa Dux neque à cœpta expeditione necessaria discedere, neque copijs ingenti sumptu paratis certa cum spe hostis opprimendi, de inducijs consilium posset approbare, quemadmodum ab extractu adjuncto Responsi Ducis Legato nostro dati videbitis. Cæterum, cum emergentes diversæ ac gravissimæ rationes, Mansfeldij persecutionem plane necessariam efflagitarent, ipsoque cum exercitu in superiore Palatinatu, atque in ipso regni nostri limite hærente, neque Regnum illud, neque

neque vicini Principes ullo modo à periculo ſecuri eſſe poſſent, id conſilij cepimus, ut quod ne vobis quidem unquam diſplicuiſſe intelleximus, omiſſa tantisper, quo ad » Palatinatum ſuperiorem, Banni executione, ad regnum » noſtrum, ditioneſque tam noſtras quam aliorum principum diſcrimini eximendas, ulteriora Ser.mo Duci Bavariæ mandata dederimus, hoſti quovis modo inſiſtendi. Cum itaque quod ad dictum Palatinatum ſuperiorem attinet, hac Mansfeldij perſecutione res ſic commutatæ interim fuerint, ut inducijs amplius locum fore non exiſtimemus, in inferiore vero Palatinatu, quod præſens ſtatus ferat, antehac Ser.mæ Infanti commiſerimus, eidem noſtræ reſolutioni etiamnum acqueſcimus, niſi quod eas inducias minime promoturum exiſtimamus, quod intelleximus Horatium Veer, Palatinianum Generalem indies magis inſoleſcere, prout graviſſimæ & Epiſcopi Spirenſis, & nuper Electoris Moguntini ad vos delatæ querelæ teſtantur. in quorum ditiones ferro atque igne hoſtiliter graſſatus eſt, nullam ob cauſam inimicitiarum, niſi quod nobis & ſacro Imperio fidem ſuam integram conſervant. Quæ quidem confidimus Ser.mum Magnæ Britanniæ Regem, conſanguineum & fratrem noſtrum chariſſimum, cuius Veerius patria ſubjectus, vel eo nomine indigne laturum, quod minime probabile conſilium videatur, Imperij Electorum & principum animos, non neceſſaria cauſa à Genero ſuo (ſiquidem eius mandato iſta fiant) alienari. Atque hæc vobis renuncianda hiſce literis duximus, quibus gratia noſtra Cæſarea benigniſſime inclinamur. Datum Viennæ 12. Octob. An.o 1621.

Executio Banni omittitur, quando Palatinatus ſuperior occupatur.

P CÆSA-

N°.16. CÆSARIS LITTERÆ FIDVCIARIÆ

Ad

REGEM HISPANIARVM,

manu propria ſcriptæ.

SEr.^mo Rè, mio amatiſs.° Nipote. Il Padre Giazyntho Capuc.° ſene transferiſce in coteſta corte à trattar con la M.V. per nome del Papa, un negotio concernente molto la conſervatione della noſtra S.^ta fede, e conſequentem.^te della noſtra Caſa, ſecondo che la M.V. intenderà dell'iſteſſo Padre, al quale io mi rimetto, come al don Baltazar di Zuniga; al quale ne ſcriuo piu diſtintam.^te per non tediar la M.V. Et eſſendo io molto ſicuro, che V. M. coſi uno, come l'altro ne ha di cuore, coſi non gli voglio raccommandar di queſto negotio: ma n'aſpetto della M. V. la deſiata e da me tanto bramata riſolutione: Augurandoli d'Iddio beneditto ogni felicità. Di Vienna alli 15. d'Ottobre l'Anno 1621.

Era ſotto Sc̃to.

Di V. M.

Affett.^mo Zio

FERDINANDVS.

Et ſopraſcritto erà:

Ser.^mo Principi, Dño Philippo Quarto, Hiſpaniarum, Vtriuſque Siciliæ, Ieruſalemi, &c. Regi Cath.^co, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ; Conſobrino ac Nepoti noſtro cariſſimo.

LATI-

VERSIO LATINA.

Sereniſſime Rex, Conſanguinee ac Nepos Cariſſime. Proficiſcitur pater Hiacynthus ad aulam veſtram Pontificis nomine, cum M.te V.ra tractaturus negotium, multum concernens conſervationem S. fidei, & conſequenter Domus noſtræ, ſicut M.tas V.a ex ipſomet Patre intelliget, ad quem me remitto, ſicut etiam ad Don Balthaſarum de Zuniga, cui plenius cuncta perſcripſi, ne tædium M.ti V.ræ afferam. Cumque confidenter ſecurus ſim Mti. V.ræ & hoc & illud unice cordi eſſe, idcirco pluribus illi hoc negotium commendare nolo, ſed potius à M.te V.ra expecto deſideratum & tantopere à me expetitum reſponſum. Vovendo illi à Deo benedicto omnem felicitatem. Viennæ, 15. Octob. An.o 1621.

M.tis V.ræ

ſtudioſiſſimus agnatus.

FERDINANDVS.

CÆSARIS LITTERÆ Ad D. BALTHASSARVM ZVNIGAM, manu propria ſcriptæ.

No.17.

Diletto Don Baltazar, El Padre Giazyntho ſene transferiſce in quella Corte, à trattare con el Re mio amatiſs. nipote, per nome del N. S. il negotio del Elettorato del

Palatino. e sapendo io molto bene, quanto a cuore lei habbia la conservatione & l'essaltation della nostra S.ta fede & consequentem.te della Casa nostra, così non solamente spero, mà sono sicuro, che lei operarà secondo il suo solito zelo talmene in questo negotio, accioche si possa venire al debito fine. perche lo dico con quella sicurtà, con la quale si è sempre trattato realmente con lei, mentre ch' ella è stata in questa parte, ch'io trouo necessariiss.a questa translation nel Duca di Bauiera. E ancor che sempre si faranno molte oppositioni Politiche in questo negotio; dico però, che non si deue sempre secondo li discorsi humani pensare simili negotij tanto concernenti la nostra S.ta Fede. mà si deue ancora sperar & confidare in Iddio benedetto. Di più non deuo tralasciare d'avisarle, ch'io sono talmente obligato verso il Sig.re Duca per li suoi meriti, e per le promesse piu volte replicate, così in voce, come in scritto, per la translat.e del Elettorato, ch'io non ne so modo, come io possi ritornare in dietro senza l'offesa d'Iddio, e perdita del mio honore. Il quale con' altro sono sicuro che la procurerà, che sia preuenuto e conservato. Et io ne resto suo affett.mo come sono sempre stato. Di Vienna alli 15. d'Ottobre l'anno 1621.

Questa quì aggiunta dà più lume di quella mia.

FERDINANDVS.

Et il soprascritto:

Illustri, syncere nobis dilecto, Don Baltazaro de Zuniga, Ser.mi Regis Cat.ci, Consobrini ac fratris nostri carissimi, Consiliario Status.

LATI-

LATINA VERSIO.

Dilecte Don Balthasar. Proficiscitur Pater Hyacinthus ad aulam vestram, tractaturus cum Rege, carissimo meo consanguineo, Pontificis, Domini nostri nomine, negotium de Electoratu Palatino. Et cum sciam, quantum cordi tibi sit, & conservatio & exaltatio S. fidei, & consequenter etiam Domus nostræ, ita non tantum spero, sed certus sum, Te pro solito zelo tuo in hoc negotio omnem operam daturum, ut perveniamus ad expetitum finem. Nam pro illa confidentia, qua tecum semper candide & aperte actum fuit, quamdiu fuisti in his locis, hoc tibi affirmo, me maxime necessariam judicare hanc translationem in Ducem Bavariæ. Et quamvis multæ rationes dubitandi politicæ moveri possent, nihilominus tamen hoc statuo, non semper in ejusmodi negotijs, quæ tantopere S. fidem nostram concernunt, ad considerationes humanas respiciendum, sed potius in Deo benedicto sperandum & unice confidendum esse. Nec celare te possum, me Duci Bavariæ ob sua erga me bene merita, iteratis promissis, tam voce quam scripto factis, ad transferendum in ipsum Electoratum, adeo obligatum esse, ut nullam viam aut modum reperiam mutandi hoc propositum, sine offensione numinis divini, & læsione honoris mei. Ideoque de te mihi polliceor, curaturum te, ut illud malum avertas, & hunc mihi conserves. Ego vero te, ut semper, amore prosequor. Viennæ. 15, Octobr. Anno 1621.

Huic adiuncta plus lucis huic meæ Epistolæ afferet.

Sequi-

Sequitur nunc Epistola Cæsaris Latina prolixior, ad quam præcedens Italica se refert,

N°. 18. FERDINANDVS.

ILlustris sincere dilecte. Quæ circa translationem Electoratus in Bavariæ Ducem vigore promissi ei facti, mihi mens & animus sit, & quamobrem existimem negotium illud tam universæ Germaniæ, quam inprimis Domui nostræ Austriacæ ab hæreticorum machinis vindicandæ necessarium ac utile, ulterius non differendum (prout & Sanctissimus Pontifex me hortari non desinit.) amplius ex Patris Hyacinthi, quem ea de causa Pontifex ad me ac Seren. Hispaniarum Regem, consanguineum & nepotem meum, nec non alios Germaniæ Catholicos Principes destinavit, relatione intelligetis. Rationes vero potissimum hæ sunt. Quod quando regiminis mei cursum ab initio reputo, easque difficultates quibus Regna Provinciasque adivi, perpendo, admirabilem quandam Dei circa me providentiam venerans, suspicio: eoque magis Deo confidere neque occasionibus ejusdem honorem & gloriam proferendi deesse, tamque admirabiliter expertæ divinæ providentiæ quam humanæ prudentiæ majorem rationem ducere, me obligatum censeo. Eaque maxime de causa divinitus ante annum præclarissimam mihi victoriam oblatam, ut ea ad Dei gloriam & honorem proferendum, & exstirpandas seditiosas factiones, quæ à Calvinistica potissimum hæresi foventur, uterer,

uterer, meque illo judicio subtraherem quod Propheta Israëlis Regi comminatur, Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima ejus. Nunc Palatinus jacet apud Hollandos exul, non tantum Regno meo, quod male tentavit, sed proprijs ferme ditionibus exutus, ac extremum quasi fortunæ ictum præstolatur. Quem, si prava miseratione vel callidis precibus persuasus, tanquam torpentem & semianimem colubrum sinu foveam, ac Electorali dignitati restituam, aliud nihil quam letalem ab eo morsum expectem. Frustra enim est, ut beneficij magnitudine illum demereri posse existimem. Nimis siquidem verum Politicorum effatum est, Vltionem quæstui, gratiam oneri haberi, præcipue cum tam atroces illius in me sint injuriæ, tam subdolæ artes, ut quamvis Christiana charitate ego animum vincere, ille tamen tot facinorum conscientiam nunquam exuere, aut solidam mihi fidem præstare possit, quin semper occasioni inhiaturus sit, quomodo se ejus, quod promeruisse scit, timore exoluat, & semel prostitutam famam, novis facinoribus cooperiat. Accedit Calvinistica institutio, cujus sectæ hic proprius genius est, nullam fraudem, nullum scelus putare, quod pro eorum religione suscipiatur: Nulla hic juramenti sanctitas, nullus sinistræ famæ metus obstat. A tali vero quam cautionem vel Domus Austriaca vel Catholici reliqui Principes, quibus ille non minus infestus est, & ob religionem, & quia nobis hoc bello adstiterunt, possunt recipere? Spondebit Angliæ Rex? At eadem Religione: neque quidquam facilius est, quam ubi occasio patrandi sceleris datur, læsæ fidei prætextum obducere. Plena est historia exemplorum. In summa, nulla in tali in re cautio est, quam eo redigere inimicum, ut nocere nequeat. Cætera fragilia sunt, & is

qui

qui credidit, denique contemnitur.

Eſt ea quoque non minoris ponderis conſideratio, illuc Palatinum reſtitutum, machinas omnes, atque cuniculos, uti hactenus, ita & deinceps admoturum, ubi maxime & facilime ſe nocere poſſe exiſtimat: per Bethlemium nimirum & Turcas, quos jam ante contra me hoſtes conſcivit, neque adhuc incitare ceſſat. In his Calviniſtarum ſpes omnis ſita eſt, hos donec ipſi reſpirent ac vires recolligant, ad me exarmandum ac ſumptu exhauriendum, vaſtatis meis ditionibus, quemadmodum hactenus ferro flammaque fecerunt, ſubſtituere nituntur, Quod ſi & cum illis pacem (cui tamen æque fidere non poſſem) inire velim, quas conditiones Gabor nondum victus præſcribet, ſi Palatino victo Electoralem dignitatem cum ditionibus reſtituam? Ergo cum jam olim, antequam celeberrimam mihi Deus victoriam conceſſit, conſtitutum fixumque haberem, non poſſe Palatinum ſine extremo Catholicorum omnium & Domus meæ periculo, ſemel proſcriptum, ad Electoralem dignitatem reſtitui, Bavariæ Duci Catholicæ Religionis defenſori acerrimo, cujus ditiones ex altera parte contra Germaniæ Principes ditionibus meis, veluti pro vallo, objacent, adhæc conſilio & opibus ad dignitatem eam ſuſtinendam pollenti, Electoratum ultro ac ſponte à Deo abſque dubio impulſus, obtuli. Cujus ex eo tempore opera, cum tam utiliter in Regnorum ac Provinciarum mearum recuperatione uſus ſim, atque adhuc hodie utar, tempus modo magis etiam quam ipſemet Dux flagitare videtur, ut promiſſi fidem ſine ulteriori delatione exſolvam, translatoque Electoratu, ſpem quoque Palatino, & ijs qui ejus reſtitutionem à nobis importune flagitant, ut nos moleſtia liberent, adimam.

Quæ res cum Serenifs.[mi] Hifpaniarum Regis fubfidio atque auxilijs porro indigeat, quamvis per fe inclinatum ad omnia quæ ad Dei honorem & Domus Noftræ fecuritatem pertinent, admonendum nihilominus hac occafione exiftimavi, ne hanc inpofterum Domus noftræ ac Religionis fimul ftabiliendæ oportunitatem deferat, id quod per vos commodiffime me facere poffe putavi. Neque enim Seren.[tem] fuam latere arbitror, ita femper à majoribus noftris judicatum fuiffe, Domus noftræ Auftriacæ, Dei gratia, tam late per orbem terrarum regnantis, fundamenta effe in hac Germania. quæ eo magis ab hoftium vi defendenda funt, quo propior ijs fuffoffis ruina. Multos hæc Domus potentiæ fuæ adverfarios hactenus experta eft, fed nullos inter Germaniæ Principes pertinaciores Palatinis, quemadmodum hiftoriæ fub Maximiliano I. Carolo V. Ferdinando I. ac Rudolpho II. Imperatoribus, fatis docuerunt. Hollandica fane erga Philippum Regem Seren.[tis] fuæ avum, perfidia, alimenta fua ex Palatinatu traxit, neque Seren.[tas] ejus unquam Rebelles in Belgio fubditos ad obfequium reducet, nifi hac in Romano Imperio radice fuccifa. Quæ quidem fola res, fi cætera non effent de quibus fuperius monui, merito eam impellere debeat, ne jacentem hoftem refurgere, & vires in nos (nam animus nunquam deerit) refumere patiatur. Etfi vero diffimulandum non fit, Lutheranos Principes, & inprimis Saxoniæ Electorem, hanc Electoratus translationem in Bavariæ Ducem fortaffe non æquo animo laturum, quod Catholicam rem ex ea nimium augefcere vereri poffit, cum tamen is accufare nequeat, quod in

Q majori-

majoribus ſuis, Mauritio, nimirum, proavo ſuo, cui ex multo levioribus Ioannis Friderici delictis, Electoralis dignitas à Carolo V. conceſſa fuit, probat. adhæc quia Calviniſtarum conſilia eo pertinere jam animadvertit, ut abſque dubio, niſi obviam eatur, Turcæ in Imperium aditus per eos præparetur, neque minoribus odijs Lutherani in Calvinianos quam Catholicos ferantur, vel minus ab his quàm ab illis periculum ſibi imminere exiſtiment, ſperandum omnino eſt, Saxoniæ Electorem, cæteroſque Principes Saxonicos, ubi rem eo deductam eſſe intellexerint, non uſque adeo hanc tranſlationem improbaturos, ut hac cauſa mihi bellum intentent. Id quod ex Seren.mo. Archiduce fratre meo Carolo, hac de cauſa ad Electorem Saxoniæ ablegato, brevi certius comperiam. Atque hæc quemadmodum magni momenti ſunt, ita non minus vos, qui Seren.ti ſuæ Regiæ inprimis à conſilio eſtis, quam me ipſum diligenter jam dudum cogitare exiſtimo, neque omiſſuros quidquid ad conſilium hoc porro ſtabiliendum pertinere arbitrabimini. Vt diu deſideratos ex eo fructus, Dei omnipotentis honoris per Imperium propagatio, ac communis Domus noſtræ ſalutis ac dignitatis augmentum conſequatur.

POST

POST-SCRIPTUM CÆSARIS

Ad eundem No.19.

BALTASSARUM ZUNIGAM, manu propria.

Diletto Don Baltasar; Io ho visto che nella lettera è stato tralasciato un mottivo di non poca consideration. Il quale è, che se haueremo un voto d'un Cat.co di più di quello, c'hauemo adesso, saremo sempre sicuri, che l'Imperio restarà nelle mani delli Cat.ci & ragionevolm.te nella nostra casa, alla cui promotione concorrerà sempre volontieri il Duca di Bauiera, in recognoscimento del beneficio ricevuto, d'essere promosso ad una dignità cosi eccellente & eminente, d'uno Imperatore della casa nostra. Vt in litteris.

FERDINANDUS.

Et sopra scritto era:

Al Don Baltasar de Zuniga.

LATINA VERSIO.

P. S. ad eundem.

Dilecte Don Balthasar, Animadverti, omissam esse in literis causam magnæ considerationis, hanc nimirum, Quod si haberemus unum amplius votum

Catholicum. quam nunc in præsenti habemus, certissimi esse possemus, Imperium semper in manibus Catholicorum permansurum esse, atque ita secundum rationem in Domo nostra. Ad cujus promotionem Dux Bavariæ semper lubens volensque concurret, in recognitione accepti beneficij, quod ab Imperatore ex domo nostra ad dignitatem tam illustrem & sublimem promotus sit.

FERDINANDVS.

CÆSARIS EPISTOLA
Ad
HYACINTHVM CAPVCCINVM
Monachum propria manu scripta.

N°.20. Reuer.do in X.o Padre.

Riceuei due sue, una d.lli 30. di Settembre & l'altra d.lli 4. di questo mese. con questa vengono le lettre per il Re di Spagna, per l'Archiducessa Margareta, e per il Don Baltasar; la cui copia viene quì aggiunta. Et ancorche io sono sicuro, che la P. V. trattarà questo negotio con quella prudenza, laquale Iddio gli ha data; però per la somma confidenza che pongo in lei, non posso di lasciare à dirgli, crederei che V. R. non douesse dire niente in quella corte, che il Duca di Bauiera habbia ora mai l'investitura in mano: mà che V. R. procurasse di levare gli humori erronei, che tengono in questa materia, & persuadergli, che non solamente concorressero con la mia opinione, mà che ancora dessero que gli aiuti, con li quali

quali si potesse effettuatamente pervenire a questa cosa tanto utile & necessaria per la confirmatione & conservatione della nostra S.ta fede, & consequentemente della nostra casa, perche io dubito, che si la R. V. dicesse, ch'io habbia ormai dato la „ *Investitura, che si potrebbe fare, ò per dir meglio, si farebbe chiaramente più danno che utile di questo negotiato, sapendo la V. R. molto bene, che quando io fosse abandonato della Corona di Spagna, io con le mie proprie forze non potrei effettuare quello che ho promesso al Duca di Bauiera. Et io dubito, anzi son quasi sicuro, (secondo che lo dice continuatamente il Ambasciadore quì residente) che questo seguirebbe infalibilmente, che io sarei derelitto della Corona di Spagna, se'l Re risapesse, ch'io hauessi data questa investitura prima ch'io hauessi communicato con cotesta Corona. Adonque V. R. indrizzerà questo negotiato in tal maniera, accioche asseguiamo il desiato fine. nelle cui orationi mi raccomando di tutto cuore. Di Vienna le 15. di Ottobre 1621.*

Di V. R.

Affett.me

FERDINANDO.

L'Inscrittione era.

Al molto Rev.do Padre,
Giacinto Capuccino.

LATINA VERSIO.

Reverende in Christo Pater,

Binas literas tuas, unas 30. Septemb. alteras 4. huius mensis datas, accepimus. Has nostras comitantur ad Regem Hispaniarum, Archiducissam Margaritam, & Don Balthasar, à nobis scriptæ. Quarum exempla his juncta sunt. Et quamvis non dubitem, R. V. sibi demandatum negotium, pro sua à Deo illi concessa prudentia, tractaturam esse, tamen pro summa nostra erga illam fiducia, prætermittere non potui, quo minus illam monerem, putare me R. V. nullam in illa aula mentionem facere debere, quod Dux Bavariæ investituram jam in manu sua habeat, sed curare potius, ut erronei humores, quos conceperunt de ea re, illis eximantur, ac persuadeatur, ut non tantum cum nostra sententia concurrant, verum etiam ea auxilia præbeant, quibus nos cum effectu obtinere possimus, rem adeo utilem ac necessariam ad confirmationem & conservationem S. fidei, & consequenter Domus nostræ. Veremur enim, si R. V. fateretur, nos jam antea investituram concessisse, accidere posse, vel, ut rectius dicamus, prorsus futurum esse, ut ex eo plus damni quam emolumenti eveniret in isto negotio. Non enim ignorat R. V. quod si desereremur à Rege Hispaniæ, tum proprijs nos viribus præstare non posse, quod Duci Bavariæ promisimus. Hinc est, quod dubitemus, imo quasi certi simus, (sicut continuo hoc dicit Legatus Hispanicus in aula nostra ordinarius) illud infallibiliter successurum, nempe nos desertos iri à Corona Hispaniæ, si rescircerent, nos dictam investituram concessisse, antequam cum dicta Corona super ea re

commu-

communicaverimus. Igitur R. V. totum negotium ita diriget, ut consequamur desideratum finem. Illius precibus toto corde nos commendamus. Viennæ 15. Octob. An.º 1621.

R. V.

Devotissi.

FERDINANDUS.

EPISTOLA CÆSARIS
Ad
ARCHIDUCISSAM MARGARETAM,
Monialem, propria manu scripta:
ex Germanico Latinè reddita. Nº. *21.*

SErenissima Princeps, Consanguinea & Soror Dilectissima, Pater Hyacinthus Capucinus à Sanctissimo Pontifice ad Regem, carissimum Consanguineum & Nepotem nostrum mittitur, ut cum illo tractet de translatione Electoratus Palatini in Ducem Bavariæ, ut ille in hoc negotio in bonum & utilitatem Catholicorum & nostræ Domus, re ipsa nos adjuvare velit, ut desideratum finem consequamur, sicut V.ª Dil.º ex dicto Patre uberius cuncta percipiet. Cum igitur hoc negotium imprimis utile ac fructuosum existimemus, nosque in illo erga Bavariæ Ducem, propter ipsius nobis multipliciter præstita auxilia & utilissima officia, obligatos esse agnoscamus, idcirco Dil.m V.m amanter & fraterne hisce roga-

rogatam volumus, ut in hoc negotio omnem operam adhibeat, quo exoptatum ſcopum attingamus. Quod erga ipſam grato animo rependemus. Quam ſingulari amore & fraterno affectu proſequimur. Viennæ 15. Octobr. Anno 1621.

D.ⁱˢ V.ʳᵃ

Studioſiſſimus Conſanguineus & frater, quamdiu vixero.

FERDINANDVS.

Reverendiſſimæ & Seren.ᵃ Principi, Dominæ Margarethæ, natæ Reginæ Hungariæ & Bohemiæ, Archiduciſſæ Auſtriæ, Conſanguineæ & Sorori noſtræ dilectiſſimæ.

N°.22.

EPISTOLA CARDINALIS LODOVISII, *Ad* NVNCIVM PAPALEM Bruxellas ſcripta.

SI è veduto quel, che V. S. auuiſa hauer ſcritto l'Imperatore alla Ser.ᵐᵃ Infanta circa la ſoſpenſione dell' armi nel Palatinato. & m'occorre ſignificar à lei per hora, che trà per li felici ſucceſſi, che qui ſono inteſi del Duca di Baviera nel Palatinato ſuperiore, & per li nuovi ordini che di più ſaranno poi ſopraggiunti da S. M.ᵗᵃ Ceſ.ᵉᵃ, ſperiamo che l'armi non ſi ſaranno

ranno altrimenti sospese nel Palatinato Inferiore: mà che si anderà avanti nella guerra, senza ritirarsi ne intepidirsi, come si è fatto altre volte; & si esseguirà il bando Imperiale. perche spogliato il Palatino al tutto de gli stati, non tornerà a rissorgere così di leggiero: & il negotio dell' Elettorato, il quale già camina bene, haverà minori incontri. Attenderà però V. S. a far ogni officio possibile con S. A. & con chi ella conoscerà bisognare intorno à questo soggetto: accioche la sospensione d'armi rimanga affatto esclusa. Et quanto alla persona del Palatino, soggiongo, che rimanendo giustamente privato del Palatinato, douerà hauer per gratia, non che d'humiliarsi all' Imp.re; mà humiliato che si ha, ne venga conceduta alcuna parte a suoi figliuoli: anzi se non si allevassero alla Catolica, sarebbe un grand' errore à riconcedere quegli stati a persone heretiche: & massimamente per li Paesi bassi; à quali sono così vicini. Onde convien hauere un grand' riguardo, si come sen'è anco auuertito il Nontio di Spagna, che lo metta in consideratione al Rè. Et Nostro S.re appresso la Ma.ta Cesarea, & il Rè medesimo è per far ogni opera, accioche si diano à Catolici. onde V. S. ancora douerà opportunamente persuaderne la Ser.ma Infanta. perche, stabilito l'Elettorato nel Duca di Baviera, si tratterà poi di questo, e di truovare modo di compiacer al Re d'Inghilterra. V. S. in tanto non mancherà tenersi auuisato di man in mano di tutto quello che anderà succedendo.

Di Roma a li 16. d'Ottobre 1621.

VERSIO LATINA.

QVæ de armorum suspensione in Palatinatu Imperator ad Ser.mam Infantem perscripsit, ex communicatione Dom. V.æ hîc est cognitum. Vnde mihi in mentem venit illi nunc significare, nos omnino spe-

rare tam propter felices Bavari successus in superiori Palatinatu, quam quod alia de novo ab Imperatore mandata subsecuta sunt ad Infantem, nullam amplius armorum suspensionem in Inferiori Palatinatu concessam, sed potius bellum reassumptum, sineque ulla remissione aut pusillanimitate, sicut ante aliquoties factum, Bannum Imperiale executioni mandatum iri. Nam si semel Palatinus totaliter statu suo spoliatus sit, non ita facile resurgere poterit, & negotium de transferendo Electoratu, quod jam bene procedit, minoribus difficultatibus erit obnoxium. Dabit igitur Dom.º V.ª operam, ut apud Infantem & alios, ubi hoc opus esse existimabit, omnia possibilia officia præstet in isto subjecto, ut armorum suspensio modis omnibus excludatur. Quantum vero ad Palatini personam attinet, hoc insuper adjungo, quod cum ille juste privatus sit Palatinatu, pro magno beneficio habere debeat, si Cæsaris pedibus se subijcere possit. Et quamvis hoc fecerit, tamen ne liberis quidem ipsius ulla patrimonij portio concedatur. Imo nisi in Catholica Religione instituti fuerint, capitalis error esset, hæreticis personis illas ditiones restituere, maxime respectu Belgicarum Provinciarum, quibus illæ adeo vicinæ sunt. Quocirca accurate hîc vigilandum est, quemadmodum etiam illa de re ad Nuncium, qui residet in Hispania, diligenter perscriptum est, ut Regi Hispaniarum hanc considerationem subijciat. Quin etiam Pontifex tam apud Cæsarem, quam ipsum Hispaniarum Regem, omnem operam dabit, ut regiones illæ dentur Catholicis. Vnde Dom.º V.ra Serenissimæ quoque Infanti idem opportune persuadebit. Postquam enim Electoratus in persona Bavari stabilitus erit, postea tractabitur de inveniendo aliquo modo, quo Regi Magnæ Britanniæ satisfieri possit.

Interea

Interea Dom.° V.ª non cessabit nos de die in diem certiores reddere, quæ isthic succedent.

Romæ, 16. Octobr. Anno 1621.

EPISTOLA CAROLI CARAFFÆ, Episcopi Aversani, Nuncij Papalis in aula Cæsarea, Ad N°. 23

HYACINTHVM CAPVCCINVM Monachum Casalensem.

Molto Rev.do in C.to P.re oss.mo

Non prima di Mercordì mattina arriuò quì il P.re Salvator suo compagno, che furono li 13. del mese, e subito mandai a dimandar audienza à Sua Ma.tà, che me la diede l'istesso giorno. & hauendo comminciato l'audienza con un altro negotio commessomi da N. S. poi entrai nel particolar delle lettere, che V. R. desideraua. & certo con una prontezza grande me le promise: cioè quella del Rè: nella quale mi disse, che si saria rimesso a quello, che scriveua al Sig.re Don Baltasar; nella quale haveria scritto tutto quel, che si desideraua. & era sua volontà, tanto nel negotio principale, come in servitio di V. R.ª. un altra all' Infanta Monaca. il Confessore mi disse che non voleva scrivere; per non hauer corrispondenza. Pregai S. M.tà della secretezza; e mi disse, Acciò il negotio vada più segreto, scriuerò da mia mano: (come hà fatto sino alla coperta: come vedrà che le mando quì incluse) e la sera appresso a 4. hore di notte me le mandò per un huomo suo di camera. Le mando quì ancora inclusa la scrittura mandatami da Roma del Sign.r Conte d'Ognate; e vedrà che bella propositione; essendovi ancora la mia risposta. S. M.tà nel raggionamento che fece

di queste lettere, entrai ancora nel negotio principale, & in particolare del Sig.^r^ Duca di Bauiera. e frà molti particolari mi disse, che oltra la segretezza haueria scritto ancora di pugno suo, per monstrare quanto le prema l'interesse del detto Duca di Bauiera; al quale haueria desiderato di dar sodisfattione sino con il sangue proprio: mà bisognaua caminar consideratamente. frà tanto ancora spero, c'haueremo buona risposta di Sassonia: con la quale, se per la dichiaratione del Rè Cat.^co^ fatta dal Sig. Conte d'Ognate, si potrà finir quì bene il negotio senza aspettar altra risolutione di Spagna, bene quidem; quando che nò, se di nuouo di quì si vorrà dar parte in Spagna, in tal caso V. R.^a^ potrà aggiustare il negotio con la solita sua prudenza e valore: e sperare in Dio benedetto & alla Madre sua S.^ma^, ch'arrivaremo all'intento.

Nel Palatinato inferiore si tira auanti, e già il Cordua haueua occupato tutti luoghi che sono tra Stainem, (ch'ultimamente haueua preso) & Heidelberga. anzi, quì da Spira si scriue, che habbi preso anco Heidelberga: tuttauia non è certo. mà potria esser facil cosa, per non esserci repugnanza: & il Capitan del Palatino si era ritirato & abandonato ogni cosa verso Manheim, luogo forte e fortificato ultimamente, vicino al Reno, con quindeci compagnie di fanteria. & io stimolo che si tiri auanti: se bene dubbito che non sia necessario, perche l'amici fanno intentione di far quello che propose il Conte di Zollern al Duca di Bauiera da parte d'un ministro di quì. V. R.^a^ m'intende. Io già ho detto per tutto che V. R^a^. và verso Italia, e sin' adesso non si è penetrato altro. come sarà passato qualche tempo, lo dirò al Conte d'Ognate. Del resto auguro a V. R. buon viaggio, e meglio arrivo; come credo ch'all'arriuo di questa hauerà finito. A Monsig.^r^ Nontio ho diretto il piegho, acciò subito lo dij à V. R.^a^, e li siino in sua credenza, perche del resto son sicuro che farà il debito come si conviene.

viene. Mi era scordato di dire, che S. M.tà mi disse di quì che haueria dato il duplicato di tutte le lettere al Conte Chesenhiller, che frà otto ò dieci giorni tornerà in Spagna, acciò se queste si perdessero, si trovassero dell' altre, con che facendo fine baccio a V. R. le mani, racommandandomegli alle sue Sante orationi. Da Vienna li 16. d'Ottobre 1621.

D. V. P. M. R.

S.r aff.mo

D. C. Vescouo d'Auersa.

Al Molto Rev.do in X.o Padre il Padre Fra Giacinto Cappuccino da Casale.

LATINA VERSIO.

Reverende in Christo Pater,

VIx Mercurij die mane, qui fuit 13. Octobris, ad nos venit Pater Salvator, frater vestri Ordinis, & ilico misi ad Cæs. Majest. pro audientia, quam mihi illo ipso die concessit; Et postquam sermonem inchoassem de alio quodam mihi à Pontifice demandato negotio, paulo post ad specialia illa de litteris digressus sum, quæ R. V. desiderabat. & certe maxima promptitudine Cæs. Majest. mihi promisit, nempe quantum ad illas litteras, quæ ad Regem scribendæ essent, quem dicebat se remissuram ad illam Epistolam, quam ad Dominum Balthasarem scriptura esset, in qua cuncta illa, quæ desiderantur, & quæ sit voluntas sua, tam in negocio princi-

pali, quam incommodum & commendationem V. Rev. comprehendi debebant. Ad Infantem Monialem aliam quoque ; ſed ad Patrem confeſſorem dicebat ſe non ſcripturam, quod nullam cum ipſo haberet correſpondentiam. Rogavi Majeſt. Suam ut res in ſecreto haberentur : Et dixit mihi, ut eo magis illa ſecreto tractetur, ego ſcribam propria mea manu, quemadmodum jam feci uſque ad involucrum. ſicut Rev. Veſtr^a. videbit ex incluſis quas illi mitto, & ſub veſperam circa horam quartam mihi illas reddi curavit, per unum ex ſuis Cubicularijs. Simul illi tranſmitto hic incluſum ſcriptum Comitis Ognatenſis, quod Roma accepi, & videbit quam elegans illa fuerit propoſitio, & quæ mea reſponſio. Majeſt. ſua inter colloquium quod habuit de illis litteris, pervenit etiam ad negotium principale in ſpecie ad Bavariæ Ducem, & inter multa particularia mihi dixit, quod non tantum, ut res occulta maneret, verum etiam ut demonſtraret, quantum ſibi Bavariæ Ducis emolumentum cordi eſſet, propria ſua manu ſcripſerit. Nam Bavaro ſe deſiderare ſatisfacere, uſque ad effuſionem ſui ſanguinis ; ſed progrediendum eſſe cum magna circumſpectione. Interim ſperamus nos à Saxone accepturos bonum reſponſum, quo accepto, ſi per illam declarationem Regis Catholici, quam fecit Comes Ognatenſis, poterit hic ad finem deduci negotium, ita ut ulterior ex Hiſpania reſolutio amplius expectanda non ſit, bene quidem : Sin vero minus, & ſi denuo hinc in Hiſpaniam rem communicare vellent, eo caſu Rever^a. Veſtr^a. pro conſueta ſua prudentia & magnitudine animi promouebit negotium, & ſpe-

Infra N.[18]

& ſperabit in DEO Benedicto, & Sanctiſſima ejus Matre, & hic perveniemus ad ſcopum propoſitum.

In Palatinatu res feliciter procedit, & Cordubenſis jam occupavit omnia loca, quæ ſita ſunt intra Steinium Caſtellum (quod noviſſime cœpit) & Heidelbergam. Imo Spira huc perſcriptum eſt, quod etiam Heidelbergam teneat; ſed res tamen ut non omnino certa, ita minime difficilis eſt, cum nemo repugnet, & Dux Palatini militis deſerens omnia Manheimium ſe cum XV. vexillis receperit, propugnaculum munitum & nuper exſtructum, Rheno adjacens. Et ego quidem urgeo, ut bellum ſtrenue promoveatur, quamvis dubitem, an hoc neceſſe ſit, cum amici noſtri conſtituerint, perficere, quod Comes Zollerenſis Bavariæ Duci per miniſtrum quendam Cæſareum, propoſuit. Rev^a. Veſtr^a. intelligit, quid dicam. Ego ubique famam ſparſi, Rever^am. Veſtr^am. iter ſuum convertiſſe in Italiam, & uſque nunc non reſciuerunt aliud. Elapſo aliquo temporis ſpatio indicabo rem Comiti de Ognata. Quod reliquum eſt, voveo Rever^æ. Veſtr^æ. felix iter, & proſperum adventum; ſperans, cum hæ meæ illi reddentur, illam jam iter ſuum perfeciſſe. Ad Nuncium Apoſtolicum direxi faſciculum, ut ilico Rever^æ. Veſtr^æ. hunc reddat & ſuæ curæ commendatum habeat: in reliquis certus ſum, illum, uti par eſt, facturum officium. Fere oblitus eram illi dicere, indicaſſe mihi Cæſaream Majeſtatem ſe daturum eſſe alterum quoque omnium illarum litterarum exemplum Comiti Kevenhuller, qui inter VIII. vel X. dies

redi-

rediturus est in Hispaniam, ut si unum exemplum periret, superesset tamen alterum: In quo desinens R. V. manus exosculor, & pijs ejus precibus me commendo: Viennæ 16. Octobr. 1621.

Paternitatis V. R.

Servus cum omni affectu.

D. Carolus Caraffa, Episcopus Aversanus.

ALTERA EPISTOLA
Nuncij Papalis, qui est Viennæ.
Ad
HYACINTHVM MONACHVM.

MOLTO REV.do in X.o PADRE,

N°. 24 *DOppo hauer scritto a V. R. hier mattina, che furono li 19. d'Ottobre, è arriuato corriero à S. M.tà dal Sig. D. di Bauiera, con una lettera che S. M.tà fece leggere in Consiglio, nella qual al principio dice come già per gratia di Dio (al quale si ha di dar ogni gloria & honore) tutto il Palatinato superiore è in potere & alla obbedienza di S. M.tà per mezzo suo, che di nuovo si è stabilito l'accordo con il Mansfelt, come si era stabilito prima: sol il Mansfelt ha voluto quindeci giorni di tempo per spedire corriero al Palatino con le ragioni, per le quali non ha potuto far di manco di questo accordo: e che venendo in qual si voglia modo risposta ò non venendo, che spirato il termine subito si saria eseguita ogni cosa circa l'accordo,*

cordo, il termine ſpira Domenica, che ſaranno li 24. d'Ottobre. Nel fine della lettera diſſe S. M.tà perche non la fece leggere tutta, che 'l Duca ſcriueua, che per ſi buona opera meritava eſſer gratificato e mantenutogli quel che gli era ſtato promeſſo. E così S. M.tà dimandò a tutti li conſiglieri quel che loro pareua. e tutti uno ore diſſero, che era conveniente. e così fu ordinato, che ſi penſaſſe, come ſi haueua da fare. Tutto queſto gli ſerua per auuiſo, & acciò ſappia le pretendenze, che 'l Sig.r Conte d'Ognate tenghi per la Corona di Spagna in queſto negotio; ſe bene non me l'ha detto chiaramente; perche V. R.a lo conoſce. La prima è la reſtitutione dell' Auſtria & in loco delle ſpeſe fatte da Baviera dargli la voce Elettorale con il Palatinato ſuperiore, che importa aſſai più delle ſpeſe, come m'ha detto il Conte di Zollern: Ritenerſi il Palatinato Inferiore per la Corona di Spagna per le ſpeſe fatte: & ultimamente, collegarſi bene inſieme; cioè l'Imperatore, Spagna, Baviera, il Papa, e tutta la Lega Catolica, per difeſa di tutto queſto negotio, acciò e li nimici e li neutrali non habbino molto ardire di sfacciarſi di ciò. Ancora per Saſſonia, che facendo in queſto modo ſecondo il Conte d'Ognate, non è neceſſaria tanto la ſua volontà; nè ſi dubita tanto la ſua potenza. Talche ſecondo il Sig.r Conte d'Ognate che mi dice, che con queſto ordinario ſcriverà al Rè in conſomatione, ſaria neceſſario, e che Baviera deputaſſe Imbaſciatori, come ancora S. M.tà Ceſ.ea qualche perſona; & ancora ſi ſapeſſe l'intentione della Ma.tà del Rè Cat.co e così s'aggiuſtaria ogni coſa. Ho voluto ſcrivere tutto queſto à V. P.a acciò ſappi il tutto, e perche io dubbito, che mai mai, nè il Conte d'Ognate nè li miniſtri di coſtui acconſentiranno la tranſlatione della voce Elettorale in Baviera, ſe non ſpinti per mero intereſſe, d'haver il Palatinato inferiore, ſtato tanto importante per la caſa d'Auſtria, sì per la Fiandra come per la Germania. perche con queſto

e li Protestanti non potranno così aiutare gli Olandesi, nè gli Olandesi potranno aiutare li Protestanti: & il Rè sarà padrone in Fiandra, & l'Imperatore in Germania. Da per me torno di nuovo a dire, se gli Spagnuoli non hanno questo lucretio, non credo che mai acconsentiranno per la voce Elettorale in Baviera, ancorche dicano e parlino altrimente. e per il zelo della Religione, poco importa che l'habbiano gli Spagnuoli ò altro, pur che Cat.[co] *E per me credo secondo lo stato presente di Germania, della Francia, e delli Paësi bassi, ancorche l'investissero gli Spagnuoli, non credo che ci sarà rumore; e se ci sarà, non sarà maggior di quel che potrà essere, se si sforzerà il Palatino à far qualche cosa con gli amici e parenti: e così sarà tutt' uno. V. R. è più prudente e prattica di me. le serva tutto questo per auuiso; che come si sonerà in Spagna, così potrà ballare. e mi creda, che tutto dipende da costì. che quà ci è bonissima intentione e volontà: mà paura e bisogno grande. Con che finisco, & le prego dal cielo ogni contento. Da Vienna li 20. d'Ottobre 1621.*

D. V. P. M. R.

S.[r] aff.[mo]

D. C. Vescouo d'Auersa.

LATINA VERSIO.

Reverende in Christo Pater. Postquam R. V. scripsi, heri mane, cum esset 19. Octobris, venit Cursor ad Cæs. Majest. à Duce Bavariæ, cum literis, quas Majest. ipsius legendas exhibuit in Consilio, in quarum initio

initio nunciat, quo pacto, DEI gratia, cui omnis gloria & honor dandus est, sua opera, totus Palatinatus superior in potestatem & obedientiam Majest. suæ redactus sit. Denuo cum Mansfeldio transactionem initam, ut antea conclusa fuerit, nisi quod Mansfeldius xv. dierum spatium petierit, quo possit tabellarium ad Palatinum mittere, & causas exponere, quibus ad transactionem illam compulsus sit. Et qualiscunque etiam responsio, vel etiam si nulla prorsus ventura sit, transactionem tamen illam in omnibus executioni mandandam fore. Die Dominica terminus præfixus exibit, quæ erit 24. Octobris. Dicebat Sua Majest. in fine Epistolæ, non enim totam legi voluit, scribere Ducem, meritum se esse tam præclara opera, ut vicissim Cæsar sibi gratificaretur, & perficeret, defenderetque, quod ipsi promisisset, unde Sua Majest. omnium consiliatiorum sententias expetijt, & cuncti uno ore responderunt. Hoc rationi & æquitati esse conveniens, & ita mandatum fuit, ut consultaretur de modo, quomodo in re perficienda agendum esset. Hæc omnia R. V. pro informatione serviant, simul etiam ut sciat, & quas prætensiones Comes Ognatensis habeat pro corona Hispanica in illo negotio, quamvis non ita aperte mihi rem indicaverit. Nam illum R. V. probe novit. Prima est, restitutio Austriæ, & ut sumptuum bellicorum loco Bavaro concedatur vox Electoralis una cum Palatinatu superiore, cujus reditus expensas illas longe superant, ut Comes Zollerensis mihi retulit. Vt Palatinatum inferiorem retineat corona Hispanica pro belli sumptibus, & denique, ut arctissimum fœdus fiat, inter Imperatorem, Hispanum, Bavarum, & Pontificem atque Ligam Catholicam, ad defensionem totius illius negotij, sic ut neque hostes, neque qui Neutrales sunt, multum animi ad se opponendum

S 2 habere

» habere possint, etiam ipse Saxo. Nam si illo modo res aga-
» tur, secundum Comitis Ognatensis sententiam, non adeo
» voluntas illius necessaria aut potentia æstimanda esset.
» Et hoc pacto ex mente Ognatensis, qui mihi dixit, se ob illius negotij perfectionem cum ordinario tabellario jam ad Regem suum scripturum, necesse erit ut & Bavarus legatos, & S.ª Cæs.ᵉᵃ Ma.ᵗᵃˢ certos homines deputet. simul etiam ut sciatur intentio Regis Catholici, atque ita res tota ad debitum finem perducatur. Hæc omnia R.ᵃ V.ᵃ perscribere volui, ut nihil illam lateat, & quoniam ego vereor, neque Comitem de Ognata, neque ministros ipsius ullo unquam tempore consensuros in translationem Electoralis vocis in Bavarum, nisi adductos utilitate propria, nimirum ut Palatinatum inferiorem habeant, statum, tanti momenti pro domo Austriaca, tam respectu Belgij, quam Germaniæ. Cum illo pacto neque protestantes juvare Hollandos, neque hi illos amplius possint, & Rex Belgium, & Imperator Germaniam in potestate sua habituri sint. Sed iterum dico, nisi Hispani illud lucellum habuerint, me non credere, illos unquam permissuros vocem Electoralem Bavaro, quamvis aliud dicant & loquantur. Et quantum ad religionis zelum attinet, parum interest, sive Hispani illum habeant, sive alius, modo sit Catholicus. Quantum vero ad me, credo, qualis nunc est Status Germaniæ, Galliæ, & Belgij, licet Hispani Inferiorem Palatinatum teneant, inde motus vix orituros: & quamvis existerent, non tamen maiores futuros illis, qui erunt, quando Palatinus conabitur aliquid tentare cum amicis & cognatis suis. Et sic res eodem redit. R.ª Vª prudentia & experientia me superat, & hæc cuncta pro informatione illi servire possunt. Nam prout in Hispania cantabunt, ita saltare poterimus, & credat mihi, rem omnem

isthinc dependere. Nam in hac Aula optima est intentio & voluntas. Sed metus & indigentia ingens. In quo desino, & illi ab alto precor cuncta, quæ optare posset. Vienna 20. Octobris. Anno 1621.

Rª. Paternitatis Vª.

Servus cum omni affectu

D. Carolus Caraffa, Episcopus Aversanus.

EPISTOLA
NVNCII PAPALIS, N°. 35.

in aula Cæsarea, ad Nuncium Papalem, qui est Bruxellis.

Ill.mo R.mo S.re mio Osser.mo

SI truoua cosi ben vòlta la Ma.tà Ces.ca a conferir la voce Elettorale del Reno nel Duca di Baviera, che della sua intentione non può hauerci dubbio alcuno. Mà habbia V.S.Ill.ma per cosa certa, che la risolutione di tutto questo negotio dipende omninamente da i Spagnuoli. Nè io ardirei asserir ciò, se l'istesso S.r d'Ecchenberg non mi hauesse confidato, che quando non ostasse la passata e presente repugnanza di Spagnuoli, hauerebbe già l'Imperatore terminata questa materia. Si sforzano veramente gli Spagnuoli, non hauendo altra rifuggita, coprir col pretesto di Sassonia, l'oppositione che fanno a Baviera. Mà la verità è, che dispiace loro la grandezza del detto Duca, e che vorriano, senza fastidio di altre guerre ritenersi il Palatinato inferiore. E perche dubitano, che Sassonia, come zelante delle constitutioni Imperiali, (che non vogliono stranieri in Germania) si opponga a questo lor desi-

» *lor desiderio: procurano di placarle e guadagnarselo con voler*
» *che habbia ogni apparente sodisfattione. e caso ch'egli si rom-*
pa e diuenti contrario; mirano con quest' artificio a persuadere
al mondo, che non il ritenersi da loro il Palatinato, mà il confe-
» *rirsi a Baviera la voce Elettorale ne sia stata la cagione. Onde*
» *per levar loro questa scusa, è andato ultimamente dal Duca di*
» *Sassonia, se ben sotto altro pretesto, l'Arciduca Carlo: e presto*
aspettiamo sentirne la risposta. la quale per molti riscontri si
spera buona. E quando anco sia indifferente ò neutrale: pur che
non apertamente contraria; si crede, & io ne farò ogni opera,
» *che l'Imperatore senza più dilatione sia per risolversi al fauore*
» *del Bauaro; massime havendo già dichiarato il Conte d'Ognate, che il Re Cat.*[co] *si contenta, ch' al Duca di Baviera si dia l'Elettorato, mentre non sene alteri e non repugni Sassonia. Mà perche temiamo, anco non contrariando Sassonia, della pertinacia d'Ognate: habbiamo per ciò segretissimamente inviato in Spagna il Padre Giacinto, acciò là possa opporsi a gl'ufoni dell'istesso Ognate e del Digbì, Ambasciadore Inglese, che passerà a quella Corte. e l'Imperatore hà scritto di suo pugno, senza participarlo ad alcuno, al Rè Cat.*[co]*, al Don Baltasar de Zuniga, & all' Infanta Monacha, al fauor del Padre e del negotio: e le lettere sotto coperta di Mons.*[r] *Nuntio di Spagna vengono quì aggiunte: le quali io prego a V.S. Ill.*[ma] *ad inviar con la più pronta occasione che si offera. Comple veramente assaissimo a gli Spagnuoli così per moderar la grandezza di Baviera, come per le cose di Fiandra che'l Palatinato Inferiore resti in loro potere. e quanto alla nostra intentione, è l'istesso, che l'habbiano loro, ò altro Principe Cat.*[co]*. E se bene può dubitarsi per questo capo di qualche tumulto nell' Imperio; tuttavia lo stato presente delle cose non lascia che sen' habbia gran timore: perche, quanto a Catolici, Baviera, per fare il fatto suo, ci si accommoderà: e senza esso, gl'altri, che per lo più sono Ecclesiastici, non faranno mottiuo. I Calvinisti*

già

già sono disuniti: ne possono fomentarli i loro correspondenti di Francia e d'Olanda, essendo essi nell' uno e nell' altro paese in non poco pericolo delle cose proprie. Il Rè Christian.^{mo} impegnatosi a farsi obedire nel proprio regno, non può dar orecchio a chi „ lo consigliasse ad opporsi all' aggrandimento degli Spagnuoli „ nella Germania. & i Luterani e Neutrali non hanno nè forza „ nè volontà. Si che io stimo che gli Spagnuoli habbiano opportu- „ tuna congiuntura di conseguire intorno a ciò l'intento loro: senza il quale non credo mai siano per acquietarsi nè sodisfarsi che Baviera ottenga cosa alcuna, non ostante che l' anno passato in Mogonza il Marchese Spinola alla presenza del Cardinal di Zollern affirmasse esser contraria alla mente & Ordini del Rè Cat.^{co} l'investitura, che del Palatinato Inferiore procuraua da Sua Ma.^{tà} Cesa.^{rea} pergli Spagnuoli il Conte d'Ognate. In somma lo stato del negotio è tale, quale V. S. Ill.^{ma} sente. E per quello che si scuopre da discorsi del medesimo Ambasciatore Cat.^{co}, si contenteriano gli Spagnuoli, da' quali ha da dependere il tutto, che la resolutione si riducesse a questi quattro capi: Primo, che Baviera restituisca l'Austria superiore. Secondo, che 'l medesimo per le spese fatte habbia la voce Elettorale insieme col Palatinato Superiore. di che, sopravanzando al suo credito, si contenta quell' Altezza. Terzo, che agli Spagnuoli si conceda il Palatinato Inferiore, e che Baviera renuncij e ceda loro tutte le pretensioni che per rispetto della voce Elettorale potesse hauer sopra quello stato: che intendo non essere se non sopra quattro piccioli luoghi. Quarto, che trà la Lega Cat.^{ca} di S. M. Ces.^{ea}, e 'l Rè di Spagna si faccia lega offensiua e defensiua, contre chiunquesi opponesse all' effettuatione delle cose predette. Quest' ultimo capo perche possa hauer qualche difficoltà, mà non ce n'è urgente bisogno, gl'altri, mentre gli Spagnuoli dicano da vero, e non habbiano qualche altro occulto fine e pensiero, sono facili a stringersi e stabilirsi. Resta che V. S. Ill.^{ma} continui a tener ben disposta la

Ser.^{ma}

Ser.ma Infanta e cotesti Ministri, persuadendoli a sperar bene
» *di Sassonia, che non è Principe di Spirito nè forze tali, che deua*
» *gran fatto temersi di lui: & il dubitar di solleuatione da altra*
» *parte hoggi, è sospetto senza fondamento. Sarà anco ben fatto,*
» *sollecitar l'acquisto del rimanente del Palatinato Inferiore, se ben mi persuado non si perda il tempo, seguendo l'essempio di Baviera; dal quale hier mattina si hebbe corriero con auuiso, che haueua guadagnato tutto 'l Palatinato Superiore; e che Mansfeld, seguitato da lei, si truouaua vicino ad Eistat. al quale ò per forza ò per buona voglia converrebbe effettuar l'accordo concertato con l'Altezza Sua. Di Vienna li 20. d'Ottobre, 1621.*

Di V. S: Ill.ma alla quale deuo soggiongere, che hauendo gli Spagnuoli l'intentione loro del Palatinato Inferiore, non si cureranno tanto che si dichiari Sassonia, come adesso dicono. e per ciò desiderano la lega, per poter opporsi senza scommodarsi in Fiandra. Per esser il negotio assai longo, non ho fatto mettere tutto 'l soprascritto in cifra: e per ciò prego V. S. Ill.ma che letta che haverà la lettera, è notatisi li punti principali, per seruirsene nell' occasioni, faccia subito abbrusciare la lettera; che non è bene per nissuno che si veda il negotiato, e l'altre cose concernenti à questo, per diuersi rispetti. Con che di nuouo baccio a V. S. Ill.ma le mani. Restandole

Hæc propria manu Caraffæ adiecta fuerunt.

Devot.mo Padre

D. C. Ves°.

d'AVERSA.

Riduttone questo negotio qui nelli termini che si truoua, si è stato necessario sudarci e stentarci assai, non solo per la causa di sopra, mà ancora per hauer gl'heretici in queste parti quella potenza che hanno. mà Dio è padrone d'ogni cosa.

All' Ill.mo e Rev.mo Sig.r mio Oss.mo Mons.re l'Arciuescouo di Patras, Nuntio di N. Sig.re

BRVSSELLES.

VERSIO

VERSIO LATINA.

Illustriß.e & Reverendiß.e, mi Dom.e Observandissime.

ADeo bene dispoſita eſt S. Caeſ. Ma.tas ad conferendam vocem Electoralem in Ducem Bavariæ, ut de ipſius intentione nullo modo dubitandum ſit. Verum Ill.ma D. V.ra pro certo habeat, quod totius illius negotij determinatio omnimodo dependeat ab Hiſpanis, quod ego affirmare non auderem, niſi ipſe Dominus ab Eckenberg mihi hoc arcanum credidiſſet, quod niſi obſtaret & præterita & præſens Hiſpanorum oppoſitio, res ab Imperatore jam deciſa foret. Omnes mehercle vires ſuas Hiſpani adhibent, cum alia effugia non habeant, ut oppoſitionem, quam Bavaro faciunt, tegant prætextu Electoris Saxoniæ. Sed hæc eſt rei veritas: diſplicere ipſis dicti Ducis potentiam, & quod velint ſine moleſtia ulterioris belli retinere Palatinatum Inferiorem. Cumq; metuant, ne Saxo, qui conſtitutiones Imperij (quæ peregrinos & exteros in Imperio non admittunt) ſingulari zelo conſervari cupit, deſiderijs ipſorum ſe opponat, omnibus modis ipſius animum ſibi devincire & placare ſtudent, ac volunt, ut ſaltem apparenter ipſi ſatisfiat. Caſu vero, quo ille alienetur & adverſarius exiſtat, illo ſingulari artificio toti Orbi perſuadere nituntur, eius rei veram cauſam non fuiſſe, quod ipſi Palatinatum Inferiorem retinent, ſed quod vox Electoralis in Bavariæ Ducem collata fuerit. Vt igitur hanc ipſis excuſationem eriperet, profectus eſt, quamvis ſub alio prætextu, ad Saxoniæ Ducem nuper Archidux Carolus, & brevi expectamus eius reſponſum, quod ob multas circumſtantias ſperamus fore commodum. Quod ſi illud vel indifferens vel neutrale, ſaltem non aperte contrarium

fuerit, tum opinio eſt, & ego omnem movebo lapidem, ut Imperator ſine ulteriori dilatione pro Bavaro ſe declaret, maxime quod ipſe Comes de Ognata jam oſtenderit, Regem Hiſpaniarum aſſentiri ut Electoratus concedatur Bavaro, modo ne Saxo alienetur ac repugnet. Verum quia Nos, etiam non repugnante Saxone, pertinaciam Ognatenſis metuimus, idcirco Patrem Hyacinthum quam ſecretiſſime in Hiſpaniam ablegavimus, ut ibi actionibus iſtius Ognatenſis & Digby, Legati Anglici, qui ad aulam illam profecturus eſt, ſe opponat. Et Imperator ſua propria manu, nulli mortalium rem communicans, ſcripſit ad Regem Hiſpaniæ, Don Baltaſar de Zuniga, & ad Infantem Monialem in favorem Patris & negotij, & iſtæ literæ ſub involucro ad Nuncium Hiſpaniæ colligatæ cum his adferuntur, quas rogo, ut Ill.^{ma} Dom.^{o} V.^{a} prima quaque occaſione, quæ ſe offeret, tranſmittat. Plurimum ſane Hiſpanis arrideret, tam ut modum ponant Bavari potentiæ, quam reſpectu rerum in Belgio, ut Palatinatus Inferior in illorum poteſtate maneat, & quantum ad noſtras intentiones, unum & idem eſt, ſive illos habeamus, ſive alium Principem Catholicum. Quamvis etiam ne ex illo facto bellum in Imperio exoriatur, quidam vereri poſſent: nihilominus præſens rerum ſtatus non admittit ut multum timeamus. Nam quantum ad Catholicos attinet, illos Bavariæ Dux ad promovendam utilitatem ſuam facile tranquillare poteſt, & ſine ipſo reliqui, utpote ex maiori parte Eccleſiaſtici, nunquam ſe movebunt. Calviniani vero jam Vnione ſua ſoluta diſtincti ſunt, nec poſſunt eos incitare correſpondentes ipſorum in Gallia & Hollandia, cum in
„ illis utriſque locis ipſimet verſentur in periculo ſuarum
„ rerum. Rex Chriſtianiſſimus dum diſtractus eſt in ſubditis
„ ad obedientiam reducendis, non poteſt aurem præbere,

qui

qui consulere ipsi vellent, ut crescenti Hispanorum potentiæ in Germania se opponerent. Lutheri vero ac Neutrales, nec vires habent nec animos, sic ut existimem Hispanos jam habere magnam oportunitatem, ut consequantur propositum sibi scopum. Absque quo si sit, persuadere mihi non possum, ipsos permissuros, ut Bavarus quidquam obtineat, non obstante quod anno præterito Moguntiæ Marchio Spinola in pręsentia Cardinalis Zollerensis affirmaverit, omnino adversari menti & mandato Regis Catholici investituram Palatinatus Inferioris, quam illi Comes de Ognata procurare vellet. In summa status huius negotij talis est, qualem Ill.ma Dom.o V.a intelligit, & tantum etiam ex sermonibus jam dicti Legati Hispanici colligitur, assensuros esse Hispanos, à quibus omnia dependent, ut tota rei decisio concludatur quatuor istis Capitibus. Primo ut Bavarus Austriam superiorem restituat. Secundo, ut ille ratione sumptuum factorum vocem Electoralem una cum superiore Palatinatu habeat, cuius reditus, cum sumptus illos superent, hoc pacto contentus erit Bavarus. Tertio, ut Hispanis concedatur Palatinatus Inferior, & ut Bavarus renunciet & cedat cunctas prætensiones, quas respectu vocis Electoralis ad illum statum habēre posset, & quas intelligo tantum esse de quatuor locis non adeo magnis. Quarto ut fœdus ineatur inter Ligam Catholicam, S. M.tem Cæs.eam & Regem Hispaniæ, offensivum & defensivum, contra quemcumque qui vellet se prædictis rebus opponere. Vltimum hoc caput, quamvis aliquid difficultatis habere posset, cum tamen non adeo urgentis necessitatis sit, reliqua sane, modo Hispani vere agant, & non alium occultum finem sibi propositum habeant, facillima sunt ad obtinendum & stabiliendum. Quod superest, Ill.ma D.o V.a pergat, ut Ser.mam Infantem

 eius-

eiusque ministros in illa aula recte instruat, ipsisque persuadeat, ut bene sperent de Saxone, qui non est Princeps tanti animi aut virium, ut multum de ipso metuendum sit, vereri autem motum aut seditionem alijs in locis hoc tempore, suspicio est sine fundamento. Bonum etiam factum foret urgere occupationem, quod in Palatinatu Inferiori adhuc restat, quamvis mihi persuadeam, tempus illos non perdere, exemplo Bavari, à quo heri cursorem habuimus, cum indicio, quod ille totum Palatinatum Superiorem in potestatem suam redegit, & Mansfeldius, quem persequatur, sit in vicinia Aichstadij, qui aut coactus aut volens sit adimpleturus transactionem inter Bavarum & illum factam. Viennæ 20. Octobris, Anno 1621.

Hoc addere debeo, cum Hispanorum intentio de Palatinatu Inferiori sit quæ diximus, tanti non facient Saxoniæ Electoris declarationem, uti nunc præ se ferunt. Et ob eam causam fœdus illud expetunt, ut possint parta tueri sine magno suo incommodo in Belgio. Et quoniam hæc nonnihil prolixiora sunt, ut nullis characteribus aut numeris in scribendo usus sim, idcirco Ill.^mam^ D.^em^ V.^am^ rogo, ut simul atque hanc epistolam legerit, & præcipua capita sibi annotaverit, quæ pro oblata occasione utiliter observet, illam in ignem conijci curet. Cum nullo modo consultum sit, ut alij quæ in illo negotio acta sunt, aut alias etiam res illud concernentes, videant aut sciant. Et iterum manus illius exosculor, Manens

Ill.^ma^ Dom.^is^ V^a^.

Devotiss.

D. CAROLVS CARAFFA,
Episcopus Avernanus
Nuncius Apostolicus
in aula Cæsarea.

Vt negotium perduceretur in eum statum, in quo nunc est, multum certe sudandum & laborandum fuit, non tantum ob causas supradictas, sed etiam propter potentiam, quam habent heretici in his locis. sed Deus Dominus est rerum omnium.

CÆSARIS

CÆSARIS EPISTOLA
Ad
DOMINVM DIGBYVM.
FERDINANDVS.

VT ad nostras & Imperij ditiones in securitatis portu collocandas Ser.mi Bavariæ Ducis copijs superiorem Palatinatum necessario præsidio contra hostium nostrorum molitiones firmari ratio ipsa suaserit, neque id in eum sensum trahi debeat, quasi consilio mutato quoad Palatinatum superiorem Banni executionem mandaverimus, facile partim ex literis nostris duodecima hujus ad vos datis, partim ex adjuncto exemplo ulterioris nostræ in Bavariæ Ducem Commissionis deprehendere poteritis. Qua in re, quod eam quam decebat curam recte prudenterque adhibuerimus, ex eo intelligetis, quod certis ad nos nuncijs adfertur, Palatinum proscriptum sub signis Christiani Iunioris Ducis Brunsuicensis, justum exercitum ad superiorem Palatinatum hunc, vix tandem à Mansfeldio respirantem, submittere. Quare, etsi cum Mansfeldio transactum esset, si vacuum Palatinatum alius hostis occupasset, nihil à nobis pro regnorum & ditionum nostrarum securitate, quam spectamus, actum fuisset. Interim de progressibus exercitus Bavarici querelæ vestræ supervenerunt, & quod ea expeditio, neque veteris de Mansfeldio à Bohemiæ finibus propulsando, neq; novæ alicujus Commissionis nostræ fundamento niti potuerit. Quod vestrum judicium non dubitamus, quin justissimis nostris rationibus & causis ex superius allegato vobis in cluso exemplo ac rerum ipso eventu No.2

perſpecto, qua eſtis ad omnia juſta propenſione, commutaveritis. Quamobrem hoc quoque nimis cito credidiſtis, cum Mansfeldio ſic tranſactum eſſe, ut ab eo ejuſque milite periculo vacui ſimus. cujus actiones vafræ, dubia fides, & in extremam patriæ perniciem ſtructæ machinationes efflagitant, ut ſubditorum ſaluti & vicinis Imperij Principibus quoquo modo conſulendum fuerit, ne, dum ille tempori ſe accommodans, tractatus fingit & pro libitu refingit, atque interim à tempore vires redintegrat & cum milite ſuo populabundus in Ordinum Imperialium ſubditos & ditiones ſupremæ protectioni Cæſareæ commiſſas impune graſſatur, opportuna inſolentiæ ejus compeſcendæ remedia tardius quam expediat, adhibuiſſe, à quoquam culpari poſſimus. Itaque & ratio ipſa & prudentia vobis veſtra ſuggeret, neque Bavariæ Ducem contra mentem noſtram egiſſe, neque alias hoc rerum ſtatu firmandæ tranquillitatis publicæ rationes, contra verſipellem Mansfeldium iniri potuiſſe.
» Porro de Inducijs eadem nobis, quæ antehac, perſtat ſen-
» tentia, idem in Rempublicam animus, æqua pacis &
» concordiæ conſilia amplectendi, eadem erga vos beni-
» gnitatem noſtram Cæſaream crebris occaſionibus teſtificandi voluntas. Datum Viennæ 27. Octobris. 1621.

EPISTO-

EPISTOLA CARDINALIS LODOVISII

Ad

ARCHIEPISCOPVM de PATRASSO, Nuncium Papalem Bruxellis.

M*Olto Ill.*[e] *Reu.*[mo] *S. come fratello: E piaciuto a N. S. il nuouo ufficio, chè V. S. accenna con le sue di* 9. *del corrente, hauer passato con la Ser.*[ma] *Infante, intorno alle cose dell' Elettorato, & hauendo veduto quel che S. A. ha risposto in confirmatione della sua constante volontà: è con somma laude da S. B. essaltata la pietà di lei in negotio di tanto peso: il quale ha veramente bisogno d'essere sostenuto con autorità. Desidera però la S. S. che tuttauia s'usino uffici più efficaci da S. A. alla corte di Spagna: perche, se ben siamo quà auuisati che quegli animi s'andauano anche meglio disponendo, crediamo pure che non sarà souuerchia, anzi, che debba riuscir maggiormente felice l'opera del suo fauore: onde sarà sempre bene, che V. S. perseueri di tenerglielo ricordato, quando l'occasione e'l tempo il richiederanno. Nel rimanente, rimettendomi à quanto se le scrissi con gl' antecedenti, finisco, e le mi raccommando di cuore. Di Roma* 30. *Ottobre* 1621. N°.27

D. V. S.

Come fratello Aff.[mo]

Il Cardinal Lodouisi

All' Ill.[mo] e Rev.[mo] Sig.[re] mio oss.[mo] Mons.[r] l'Arciuescovo di Patrasso, Nunzio di Nostro Signore,

BRVSSELLES.

LATI-

LATINA VERSIO.

Illustrissime Domine, fratris loco colende.

GRatissimum Pontifici Domino nostro fuit officium, quod Dom.º V.ª literis suis, IX, hujus datis, indicat, se præstitisse apud Ser.mam Infantem, circa negotium de Electoratu. Cumque Cels.is ipsius responsionem, qua constantem suam voluntatem confirmat, vidisset; summa cum laude Sua Beatitudo singularem ejus pietatem in negotio tanti momenti extulit. Quod sane meretur, ut cum autoritate sustineatur. Desiderat igitur Sua S. ut continuo officia præstet Cels.º sua magis efficacia in aula Hispanica. Nam quamvis huc perscriptum fuerit, animos in illis locis jam melius esse dispositos, nihilominus existimamus, nullo modo superfluam fore, sed eo magis felicem illius favoris operam. Vnde etiam Dom.º V.ª recte semper fecerit, ubi in urgendo illam perseveraverit, quotiescunque occasio & tempus hoc postulant. In reliquis me remitto ad priores meas ad ipsam scriptas literas, & ex corde illi me commendo. Romæ 30. Octobris. 1621.

Dom.is V.æ

ut frater amicissimus

Cardinalis Lodovisius.

ELECTO-

ELECTORIS MOGVNTINI
Ad
ARCHIDVCEM LEOPOLDVM
Epiſtola ex Germanico tranſlata.

PRæmiſſa ſervitiorum noſtrorum officioſa oblatione, No. 21
Non dubitamus, relatum jam eſſe Dil. V. quo pacto tractatus cum Mansfeldio habitus proceſſerit, & quam inopinato infelicem exitum ille ſortitus, atque ita deducto in inferiorem Palatinatum repente Mansfeldico exercitu, tota moles belli in has regiones cum extremo noſtro ſociorumque noſtrorum incommodo ac periculo devoluta fuerit.

Bavariæ quidem Dux cauſas, quibus motus cum Mansfeldio ad pacis tractatum deſcenderit, per peculiarem ad nos miſſum Legatum tam oretenus quam in ſcriptis nobis prolixe exponi curavit, hoc finali poſtulato adjecto, quoniam S. Ligæ noſtræ exercitus in hunc ad Rhenum circulum tranſlatus ſit, ut nos ex legibus fœderis in futurum, quandiu in illo miles permanſurus ſit, directionem belli, & ſimul omnium rerum ad illud neceſſariarum curam in nos ſuſcipiamus, ut Dil.° V.ª ex adjuncta copia latius intelliget, ſimiliter ex altera quoque reſponſionem noſtram Legato datam & cauſas quibus onus illud à nobis excuſando rejecimus. Cum enim illud tam propter notoriam impoſſibilitatem, quam ratione Eccleſiaſtici ſtatus atque officij noſtri nullo modo in nos recipere poſſimus, res etiam cum ſummo ſociorum noſtrorum periculo conjuncta ſit: Idcirco amice Dil.ᵐ V.ᵗᵃᵐ ro-

V gamus,

gamus, ut ipsa quoque non solum apud Bavariæ Ducem ex causis adjunctis nos meliori modo ac forma excuset, sed ut precibus etiam ab ipso impetret, quo tam in S. Cæs. Majest. quam Catholicæ causæ utilitatem, belli gubernaculum, quod hactenus summa cum laude tenuit, diutius continuet. Interea nos procuravimus, ut militum animis devinciendis in transitu ipsorum de vectura, annona, commeatu, & alijs rebus necessarijs prospectum sit. Et quoniam sub adventum hujus exercitus necessitas postulat, ut in tempore de munitione, pulvere nitrato, funiculis ad ignem alendum factis, & plumbo, sicut etiam in conducendis equis ad tormentorum & curruum subvectionem cura suscipiatur, idcirco similiter rogamus Dil.^{m} V.^{ram} ut illa non tantum, quicquid in his omnibus in promtu habet, ilico nobis suppeditet, quod in rationibus postea à quota ipsius detrahetur, verum etiam, ut simul quod illa ex reliquis suis debet, quantocyus solvat, si modo militis seditionem, cujus jam non obscura signa apparent, præcavere velimus. Cæterum & quo pacto Mansfeldicus miles in nostris ditionibus in sylva Ottonica sitis se gesserit, & quantum damni ille dederit, hoc Dil.^{o} V.^{ra} ex adjuncto extractu aliquatenus intelliget. Quod illam latere noluimus. Datum Aschaffenburgi in arce nostra S. Iohannis 3. Novembris Anno 1621.

IOH. SCHVVEIKARDVS Archiepiscopus Moguntinus Elector.

MEMO.

N.° 29

MEMORIALE INFANTI HISPANIARVM A BARONE DIGBYO DATVM.

EL Baron Digbi dize que el Rey de la Gran Bretaña ſu ſeñor ha viſto las reſpueſtas que V. A. ha mandado dar ſobre las propoſiciones de D. G. Trumbul, tocante una tregua o ceſſacion de armas; y le ha mandado de nueuo repreſente a V. A. las razones ſiguientes.

I.

Que los efetos ſon muy contrarios en todo de lo que de la reſpueſta del Emperador al Baron Digbi ſe podia eſperar. Primeramente en lo que toca a la tregua, ſa Mag.d Ceſ.a en la dicha reſpueſta dize que le avia de embiar dentro de pocas dias abſoluta; ſinò uviera euidente y manifeſta cauſa al contrario: y con eſto auia de deſpechar un proprio que le hallaria en camino. Pero auendo paſſado ya caſi tres vezes el tiempo que de palabra ſe trouo, ni ha ſabido algo del dicho proprio, ni de la cauſa de denegar las dichas treguas.

II.

Que la carta que fue ſeruida S. Mag.d Ceſarea de eſcriuir a V. A. dio copia d'ella al Baron Digbi; laqual el embio al Rey ſu ſeñor, quien le ha mandado dezir a V. A. que el halla en ella que el poder de concluyer las treguas viene a V. A. abſoluto y no limitado o condicionado con el conſentimiento del Duque de Bauaria. Es verdad, que ſe alega la declaracion del Duque de Saxonia, y la poca duda que ſe tenia del

V 2 conſen-

consentimiento del Duque di Bauaria como razones que mouieron a S. Mag. Cesarea de dar a V. A. este poder absoluto, pero no como condiciones sin las quales no se deuian hazer. y assi supplica a V. A. se sirua de mandar, que, o se hagan las dichas treguas, o que se sepan las causas que las impide: en que reciberia muchissima merced. &c.

$\frac{21}{31}$ Octobre. 1621.

Memoriale superius ex Hispanico Latine factum.

BAro Digbyus dicit, vidisse Regem Magnæ Britanniæ responsionem Cels.is Suæ, quam illa dare jussit ad propositionem Domini Trumbul, circa negotium induciarum vel suspensionis armorum, & in illo Cels.i Suæ repræsentat ulterius sequentes rationes.

I.

Quod effectus omnino sunt contrarij responsioni illi quam Cæsar dedit Baroni Digbyo. Primum in illo, quod concernit Inducias, Sua Majest. Cæs. dicit in dicta responsione, se absolute illam missuram intra paucos dies, nisi evidens causa aut periculum intervenerit, misso in eam rem peculiari veredario, qui in itinere Baronem Digbyum assequeretur. Sed quamvis terminus præfixus fere ter jam præterierit ex quo Cæsar hoc promisit, nihil tamen illum hactenus scire neque de veredario illo, neque de causa ob quam induciæ denegandæ sint.

Quod

II.

Quod Baro Digbyus illius Epistolæ, quam Cæs. Cels[i]. V.[ræ] scripsit, exemplum acceperit, & Regi Domino suo transmiserit, qui dicat, se idem Cels.[i] V.[ræ] significasse, reperire se in dicta Epistola potestatem absolutam concludendi Inducias dependere à V.[ra] Cels.[e] sine ulla limitatione aut conditione, casu quo Dux Bavariæ contentus sit. Verum quidem est, allegari declarationem Ducis Saxoniæ & parum dubij præsupponi de Duce Bavariæ, sed ut rationes, quæ moverunt Cæs.[m] M.[tem] ad dandum Cels.[i] V.[ræ] absolutam potestatem, non vero ut conditiones, sine quibus induciæ fieri non deberent. Igitur rogat Cels.[m] V.[ram] quo jubeat declarari ut aut fiant induciæ illæ, aut ut sciantur causæ impedimenti. Quod singularis gratiæ loco accepturus est.

RESOLVTIO INFANTIS No. 30.

Ad Memoriale

BARONIS DIGBY.

Son Altese pour responce au dernier escrit à elle presenté par le Baron Digby, dit, qu'elle pense avoir souffisamment tesmoigné le desir qu'elle a de donner contentement au Roy de la Grande Bretagne: attendu que pour son respect elle a diverses fois prorogué la suspension d'armes au Palatinat Inferieur. Mais que ceste derniere fois, lors qu'elle en a esté de nouveau recerchée en vertu de certaine lettre de sa M.[té]

Imp.[le] que ledict S.[r] Baron luy fit tenir, il n'estoit en son pouvoir de l'accorder, parce qu'au mesme temps sadicte Ma.[te] luy fit entendre qu'elle avoit demandé l'advis du Duc de Baviere, & qu'ayant receu sa responce, elle se resoudroit sur ce qu'on y auroit à faire, & le luy feroit sçavoir, & que cependant l'on n'auroit à accorder aucune suspension d'armes : Ayant depuis sadicte M.[te] par autres lettres mandé resolutivement à sadicte Altesse, qu'elle ne l'accorderoit, ains qu'elle enchargeroit à Don Gonsale de Cordua de passer outre. Fait à Bruxelles le 8. Novembre 1621.

RESOLVTIO INFANTIS
Ad
BARONIS DIGBY,
Ex Hispanico Latina.

SVa Cels.[o] Infans hoc responsum dat super suprema requisitione, quam illi fecit Dominus Baro Digbyus, putare se satis testatam esse, maximum desiderium suum satisfaciendi Regi Mag. Britanniæ, postquam ipsius respectu suspensionem armorum in inferiori Palatinatu diversis vicibus prorogavit. Verum quod ultima hac vice, & tunc, cum dicta Infans requisita iterum fuit per acceptas à Cæsare certas literas, quas dictus Dominus Baro Digbyus, reddi curavit, non erat in potestate sua inducias concedendi, quia eodem illo tempore dicta Cæs.[a] Majest.[tas] supra nominatam Infantem certiorem fecerit, quod ipsa in illo negocio Ducis Bavariæ sententiam expetijsset, & postquam ipsius responsum accepisset,

pisset, illa resolutura sit, quid faciendum, & Infanti significatura, & quod interim nulla armorum suspensio admittenda sit. Et ulterius alijs literis suam M.tem Cæs.am expresse illi mandasse, ne illam ullo modo concedere debeat, imo quod mox Don Gonsalo de Cordova mandatus esset, ut progrederetur ulterius. Signat. Bruxellis, 8. Novemb. Anno 1621.

EPISTOLA N°. 31.

VVILHELMI BAVARIÆ DVCIS:

Ad

COLONIENSEM ELECTOREM, filium.

Dilectissime Fili.

Literas Vestras 17. Octobris pridie datas accepi, quas cum desiderio expectaveram. Et sane cum propheta dicere possumus, quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi, tam in specie quam in genere? Nam & parvulus Maximilianus noster bene valet, Deo sit laus, qui servet illum, & porro etiam sua benedictione nos adjuvet. Frater quoque Vester Maximilianus, Deo laus, feliciter huc redijt, & nos heri processioni interfuimus. Nam eiusmodi servitia non ubique sine fructu sunt, maxime cum alicubi & in primis ab inferioribus partibus, ut fama est, querelæ non leves audiantur, quasi male factum sit, quod frater Vester Mansfeldium ad illas dimiserit, nec in his oris retinuerit, vel potius omnino eum interfecerit.

Qua

qua in re profectò in fratre Vestro aut bona eius voluntate nulla mora fuit, sicuti omnes norunt, qui negotijs interfuerunt, sed nequam ille nusquam consistere, nec fidem ullam servare voluit, non attento, quod & ipse & exercitus ipsius, si modo voluissent, propemodum ad decies centena millia * aureorum accipere potuissent. Potuissent etiam Hispani, si monitis fratris Vestri obsequuti fuissent, vel absque his expensis, Palatinatum inferiorem occupare. Nunc qui eventus illos in posterum maneant, expectandum est: sicuti etiam quo negotium translationis evasurum sit, de quo exiguam spem habeo, quamvis Cardinalis † actio iterum in motu sit, cum cuncti, exceptis Bavaris, ferè nobis adversentur.

** Bavarus à Senatu Norico 1250. mutuo petierat, ut ex illis Mansfeldio satisfaceret. Sed Norimbergenses se excusarunt. Aliunde igitur pecunia impetranda fuisset.*

† Actio Cardinalis, ut verisimile, Lodovisij, ad impetrandum Regis Hispaniarum consensum per Hyacinthum Monachum.

A Saxone etiam Electore nihil habemus, quod similiter malum signum est. Metuimus insuper ne persona nobis nota * in illo loco, quo profectus est, parum efficiat, quia etiam ibi ad Saxonem plus æquo respiciunt. Deus condonet hoc peccatum Collegis Vestris: metuo illos, si non in hac, certe in altera vita illud luituros esse. Quod apud vos aër minus salubris est, meritò doleo, sed spero, appropinquante hyeme rem fore extra periculum, modo Corduba & Tilly faciant officium, & Spinola ad minimum, quod fecit hactenus, nisi plus possit aut velit. Sed timeo, hoc Spinolam & alios agere, ut malint propter tempus anni gladios recondere, & ne in propositas ab Anglo
,, inducias ruant, ipsam denique turpissimam pacem,
,, cum restitutione Palatinatus, si non totius, saltem ex parte ad minimum. Ferè dicerem, fieri posse, ut inter Hispanos æmulationes regnent. Exempli causa, ne ipse Spinola Cordubam impediat, quo minus fortiter pro-

** Bartholomaus Rhelius apud Moguntinum, ut videtur.*

Ecce pacis studium.

progrediatur, ne hic occupati Palatinatus gloria præcepta illi præferatur. In ſumma, res mihi non placet. Deus meliora. Datum 9. Novembr. An.° 1621.

Veſter omni tempore
fideliſſimus & indulgentiſſimus Pater,

VVILHELMVS Dux Bavariæ.

EPISTOLIVM EPISCOPI SPIRENSIS, *Ad* GONZALEM CORDVBAM Hiſpanum ſcripta.

N°. 32.

Excellentiſſime Domine.

EX Excellent.ª Veſt.ª ultimis intellexi quas ob cauſas amplius Diœceſi meæ ex altera parte Rheni ſuccurrere non potuerit. Ego nihilominus Excel.ª V.ª gratias ago, & rogo, quod modo per hyemis temperiem non licuit, quum primum fieri poteſt, tyrannis Hæreti- „ corum inaudita erga miſeros meos ſubditos frangatur. „

Hoc infelici exitu audito cum Capitulum meum jam diſſolutum, & Camera Imperialis Francofortum tractata ſit, & ita officium meum ubique in Diœceſi mea

cesset, & oves quas pascere solebam, aut neci traditæ aut dispersæ sint, me Treverim confero, ubi Excell. V.a ad officia sua me paratissimum semper inveniet. Quam Deus æternum conservet. Ex Weinheim 14. Decembris Anno 1621.

Excellentiæ Vestræ
Addictissimus Servitor
Philippus Cristofforus, Episcopus Spirensis.

No. 33. *Commissionis Bavaricæ tenor ad receptionem homagij in superiori Palatinatu, ex Germanico.*

NOs MAXIMILIANVS, Comes Palatinus Rheni, Dux utriusque Bavariæ.

Notum omnibus facimus, Cum Cæs.ea Ma.tas Consanguineus noster carissimus & Dominus Clementissimus, præter priorem nobis demandatam Commissionem ulterius clementissime injunxerit, ut ex varie deductis causis, territoria, oppida, loca & transitus in Superiori Palatinatu, via amicabili, aut si resistitur, via facti occuparemus, illos in obedientiam Suæ Ma.tis redigeremus, eius nomine in fidem reciperemus, & ad ulteriorem Ma.tis suæ clementissimam dispositionem usque conservaremus: res præterea in dicto Palatinatu Superiori eo deducta sint, ut is Divina favente assistentia in devotionem Majestatis Suæ pervenerit, nunc vero in eo solum per-

persistat, ut Ma.^tis Suæ nomine à Nobis in fidem & homagium suscipiatur. Nos eo fine fideles Nobis dilectos, Eruditum, Consiliarium Nostrum Status, Supremum Cancellarium & præfectum Vttendorpicum, Ioachimum à Toursperg, Superioris & Inferioris Iglingæ, &c. I. V. Doctorem, Nec non, Nobilem Consiliarium nostrum, & Cubicularium, Wilhelmum Fugger, Dominum in Kirckberg & Weisenhorn, Ambergam ablegasse. Prout etiam illis plenipotentiam & potestatem nostram hisce damus, tam ab ijs Officialibus & Consiliarijs, qui Gubernationi præsunt, quam à Senatu & communi civitate, ut & propinquis præfectis, homagium, sæpedictæ Ma.^tis Suæ nomine suscipiendi. In quorum fidem plenipotentiam hanc manu propria subscripsimus, & sigillo nostro munivimus. Dabantur Neofori die 19. Octobr. 1621.

MAXIMILIANVS.

Collatum 23. *Octobris* 1621. L. S.
Ambergæ

testor
IACOB SOYER.

FORMVLA IVRAMENTI: *N°. 34*
ex Germanico translata.

ROmanæ Cæsareæ Majest. atque eius nomine Ill.^mo Principi ac Domino, Domino Maximiliano, Comiti Palatino ad Rhenum, Duci Superioris atque Inferioris Bavariæ, ad hoc specialiter cum plena potestate

conſtitutio Commiſſario, Domino noſtro Clementiſſimo. Vniverſi & ſinguli promittetis & jurabitis, quod poſt publicatam Cæſaream proſcriptionem à priore homagio plane ſoluti ac liberi, tanquam Cæſ.æ Ma.tis & S.ri Rom. Imperij ſubditi, in Cæſ.ææ Ma.tis & præfati Ducis Bavariæ, Commiſſarij Cæſarei tutelam & obſequium conceditis, eidem fidem atque obedientiam præſtare, & uſque ad Cæſ.ææ Ma.tis ulterius mandatum fideliter in ea perſeverare vultis, nec ulla ratione aut vi, quoquomodo aut à quocunque id excogitari aut tentati poſſit, vos ab ea averti patiemini; nec ulli Duci aut exercitui contra Cæſ.eam Ma.tem & inclytum eius Commiſſarium adhærebitis, nullam etiam eidem operam aut auxilium, ſive conſilio ſive ope, ſecreto aut palam præſtabitis; minus adhuc privatim inter vos periculoſa conſilia & conventus habebitis, aut alia quavis ratione ſeditiones & turbas inteſtinas concitabitis. quin potius ea omnia metu pœnarum in communi Iure & Conſtitutionibus Imperij promulgatarum, vitabitis, nec non Celſitudini Ducis Bavariæ, uti & ei quem ſuo nomine præficiet, in omnibus & ſingulis rebus, quas vigore ſupradictæ Cæſ.ææ Commiſſionis, & aliorum Cæſareorum deinceps decretorum in hoc Superiori Palatinatu clementer conſtituet aut mandabit, omne debitum obſequium fidem atque honorem exhibebitis. Cuncta fideliter & abſque fraude.

FLORES

FLORES SCIOPPIANI: Ex Libro Ticini Anno M. DC. XIX. edito, cui Titulus, GASP. SCIOPII, Consiliarij Regij, CLASSICUM Belli Sacri; sive Suasoria ad Imperatorem de Christiani Cæsaris erga Principes Ecclesiæ rebelles officio, & veris Hæreticorum compescendorum rationibus, excerpti.

IN PRÆFATIONE Libelli ejusdem autoris, cui titulus, Consilium Regium, Anno itidem M. DC. XIX. editi. *Nimirum nec morem meum constanter obtinerem, nec Fidei quam* AVSTRIÆ *Domus Consiliarius profiteor, satisfacerem, nec denique Regiæ tuæ erga me liberalitati grata voluntate responderem, si nunc hoc rerum articulo dissimularem, quæ à Te sciri ac probe observari, Tua totiusque Austriæ domus, cum hoc tempore, tum etiam in posteritatem, vehementer interesse statuo.*

IN PRÆFATIONE Classici ad Lectorem. *Etsi autem præcipue patriæ meæ (ea est Germania) consulere edendo hoc libro constitui: quod eum maximis quibusdam Principibus, quibus legendum dederam, mirifice probatum fuisse scirem: nihil tamen mentior, si eadem opera bene me de exteris quoque regnis ac provinciis mereri voluisse dicam.* Et in fine ejusdem Præfationis: *Faxit* DEVS, *ut aliquando sapiant, quibus ipse populi curam commisit, & nationem istam consiliariorum, qui mollibus sententiis, hæreticorum nata turbis & seditionibus ingenia, alere solent, in maximam malam crucem facessere jubeant.*

CAP. I. *Tuum est, Cæsar, fungi manus officio, & cibum capiti Ecclesiæ, sive Ordini Ecclesiastico, præbere. Quod si quis alterutrum, hoc est, sive escam, sive amictum, Ecclesiæ debitum, aut rapiat aut possideat, vel quocunque modo ei faciat injuriam; tum tu non sine causa gladium ancipitem portas, sed ad faciendam vindictam, ad alligandos Reges eorum sive principes in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Ad quem vero finem? Vtrum hactenus tantum, vt eos paucis post annis è captiuitate liberes ac dimittas? Nequaquam. Dominus enim eos tibi tradidit: non tu viribus tuis eos in potestatem redegisti: sed vt facias in eis Iudicium conscriptum, donec veniant ad te curui, & adorent vestigia pedum tuorum, proque are quod prius tibi abstulerunt, afferant aurum, & pro ferro argentum, hoc est, donec ex hæreticis fiant denuo Catholici, seque Pontifici subijciant, & quæ sacrilege rapuerunt, cum uberrimo fœnore restituant.* Et paulo post: *Adversus ciuitates religionem mutantes quid suscipiendum,* docens: *Si una urbium,* inquit, *fuerit inobediens, & iugum Episcoporum abjecerit, ut novam religionem sectetur, non acquiescens ijs quæ docent sacerdotes, statim percuties habitatores illius urbis in ore gladij, & delebis eam; etiam infantes & pueros, sive ut* 1. *Reg.* 15. *legimus, paruulum & lactentem; qui hoc modo servantur, ne adultiores facti, patrum scelere implicentur, & in æternum pereant.* Ibidem in margine: *Adversus Principes religionem mutantes, quid Deus facere iubeat.* Et in Textu: *Cum Principes populi Israel familiariter cum Moabitis comedissent, & adorassent Deos eorum, suoque exemplo populum ad eadem facienda induxissent, iratus Dominus, ait ad Mosen: Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel, Iosf.* 10. Et paulo post. *Ab huius generis iniquo (qui agrum non suum sed Ecclesiarum & monasteriorum demetit) prædam auferre, Cæsar, debes, id est, Ecclesiasticis hominibus erepta restituere; tum etiam molas vel molares dentes ejusdem*

Contra vrbei.

conte-

conterere, sive potestatem, imperium, aut principatum eius, quo vim facit, abolere. Et paulo post. *At enim omnem illi Principis potestatem & iurisdictionem tibi acceptam referunt, tanquam qui tuo nomine ac loco populis præsint. Te nempe Pastorem totius Imperij Deus constituit. Cum igitur Optimates gregis (Ier. 25.) quibus pascua distribuisti, ut pascat unusquisque eos, qui sub manu sua sunt (Ier. 6.) sive ut beneficio tuo, principatu super populos sibi commissos potiantur: Et Principes Germani seducere incipiant greges suos, faciantque vagari in montibus, ut de monte magno Romanæ Ecclesiæ in collem humiliorem Lutheri aut Zuinglij transeant: Quare tu Cæsar, Christe Domini, Cyre mystice, cui dixit Deus, Pater meus es, & omnem voluntatem meam complebis (Isaiæ 44.) Quare, inquam, non requiris gregem de manu pastorum istorum, & cessare facis eos, vt ultro non pascant gregem, neque pascant semetipsos? Quid dices, cum visitauerit te, ac villicationis tuæ rationes à te reposcet Dominus? Tu enim docuisti eos adversum te, & erudisti in caput tuum. Facilitas nempe tua, & in vindicandis rebellibus ac sacrilegis lenitas, vel dicam dissolutio, spem impunitatis eis ostendit, & eos docet, vt te ipsum caputque tuum nefario bello petere tandem audeant. Nisi ergo in ordinem eos redigas, & principatum atque Imperium eis abroges, perinde feceris, ac si oves luporum fidei & procurationi committas.* Ibidem. *Itaque cum tu ipse Lutherum pro auctore schismatis, proque manifesto ac pertinaci Hæretico, imo pro dæmone habeas humana specie induto, cujus immanitas atque rabies nullius oratione satis explicari possit: Lutherani vero Principes, eum velut Prophetam Dei, tertium quippe Eliam, & alterum Ioannem Baptistam, complectantur & foueant, eiusque Doctrinam, sive novam scripturarum interpretationem, quam ipse post Apostolos nunquam in vniuerso Orbe neque auditam neque lectam fuisse gloriatur, pro Apostolica ac diuina populis suis commendent, itaque Diabolum Dei loco adorari colique faciant, & hi omnium Tyran-*

Cæsaris non est curare cõscientiam principum.

Contra Lutherum.

Tyrannorum, qui unquam fuerunt, immanitatem longe longeque superent: profecto, nisi parum cordi habes Dei gloriam, neque peste ac pernicie ovium, precioso Christi sanguine redemptarum, quicquam commoveris, nullo modo committes, ut populi, quos tibi Deus educendos & inducendos commisit, à Vicariis tuis in errorem abducti, pro veritate mendacium amplectantur, & Diabolum pro Deo colant.

C a p. II. Vbi per totum docet, Protestantes esse hæreticos, ultimo supplicio afficiendos, ex Imperio proscriptos, statim interficiendos, & bona eorum à Catholicis occupanda. *Sic igitur habes*, inquit, *Imperator, Decretum Iudicis, ex quo interficere debes quemcunque humano sacerdoti non obedientem. Idque statim, sic ut non audias eum, quibus argumentis suam sententiam probet, neque parcat ei oculus tuus. Atque huius rei tibi David exemplo esse potest, qui de se gloriatur Psal.* 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Et post, *Quare si vel Imperator & Dominus hæreticorum principum non esses, neque in eos ullam iurisdictionem haberes, tamen sola etiam Catholicæ fidei in provinciis eorum conservatio, aut propagatio, & Ecclesiarum ab ipsis direptarum, aut in Fiscum sacrilege redactarum, recuperatio ac restitutio, ad bellum ipsis inferendum, & occupandas, tibique ac familiæ tuæ vindicandas provincias eorum, exacuere te debebat, cum tantum ea ex re præmium percipere tibi liceat. Nec enim religionis propagatione ullus esse potest iustior, ac probabilior rei suæ augendæ ac finium proferendorum titulus.* Et paulo post. *Eodem prorsus modo iniquissimum est, Lutheranos Catholicorum terras tenere: & iure tu, Cæsar, auditum facies fremitum prælij, ac Witenbergam in tumulum dissipabis, igneque succendes, possidebuntque Catholici, ac sub ditionem suam redigent eos, qui te prius possederunt, & Lutheranismus in transmigrationem ducetur, sive ex Germania exterminabitur, Prædicantes eius, & Princi-*

Hæretici & Schismatici statim interficiendi.

Cur Deus Hæreticorum bona Catholicis det occupãda.

Hæretici sunt injusti rerum possessores.

Principes hæresin in provinciis suis tolerantes sunt Catholicorum prædæ expositi.

Principes ejus simul. Hoc quo minus recte à te fieri dubites, audi Decretum Lateranensis Concilij: &c. Audi etiam, quid Imperator Fridericus II. sanxerit: Si Dominus temporalis, requisitus & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab Hæretica pravitate; post annum à tempore admonitionis elapsum terram illius exponimus Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis absque contradictione possideant.

CAPITE III. *Qui mollibus sententiis, hæreticorum successus alere, teque, Cæsar, objecta falsæ clementiæ specie, ab officio detrahere conantur, nequaquam audiendi, sed velut homines aut insigniter improbi, aut rerum gerendarum turpiter imperiti, procul habendi, imo cane peius & angue vitandi sunt.* Ibidem. *Principibus, qui hæresin amplectuntur, subditi ipsi, aut etiam alieni, nullam inimicitiæ causam cum eis habentes, instinctu* DEI, *sæpissime imperium abrogarunt, sibique vindicarunt.* Ibidem. *Quid autem, si Rex Dei vocem ex ore sacerdotis profectam contempserit, legemque seu scripturam in ijs quæ ad salutem omnino sunt necessaria, aliter quam sacerdotes docent, intellexerit? unne etiam ipsum ad sacerdotis arbitrium separatum, scorsim ab aliis habitare, adeoque regno exutum ac privatum, vivere oportebit? Quidni?*

Quales Consiliarij Cæsari diligenter cavendi.

Ieroboam nequaquam iusto titulo regnum iuste acquisitũ tenuit, quia non mansit Catholicus, neque Pontifici summo subditus. Itaque iure à rebelli subdito fuit regno spoliatus.

CAPITE IV. *Quid enim? Si Iosua noluisset ad verbum Eleazari ducere populum Iudaicum: nonne populus quod suum erat, merito fecisset, & Ducem eiusmodi suas sibi res habere, alijque se meliori locum cedere iussisset?* Ibidem. *Cum igitur partim verbum* DEI *scriptum, à Concilius & Pontificibus declaratum, partim verba signorum* DEI, *siue opera eius, iam andiveris, quæ Reges ac Principes, qui verbum* DEI *in Sacerdotis ore positum contemnunt, neque vt ipsi docent, populum Domini ducere ac pascere volunt, ac* DEI *non Vicarios sed hostes se præbent, sive à subditis, sive ab alienis, nullam nisi defensionem honoris divini causam adversus eos habentibus, recte ac*

 lauda-

laudabiliter regno exui, atque in ordinem redigi testantur; quid nunc, Imperator, dubitas, quid tibi adversus eos faciendum sit, qui subditi tui sunt, qui fidelitatis Sacramentum tibi dixerunt, quorum, velut Vicariorum tuorum, facta præstare, ac non minus pro ipsis, quam pro te, tuisque actionibus, rationem DEO *reddere necesse habes? Tunc ut patiaris, Ecclesiam Romanam, cujus te Filium profiteris, cujusque te Advocatum semper fore jurasti, ab istis pro meretrice Babylonica, tam aperte & impudenter infamari? &c. Si te quispiam subditorum tibi Principum periurum ac mendacem; si Augustam coniugem tuam adulteram & veneficam esse dicat; si vectigalia tua intercipiat; si familiares tuos pulset: an dubitabimus, quin gravissime commovearis, quin atrocissimam injuriam vindices, quin perduellem istum, atque imminutæ Maiestatis reum, ad supplicium expetas? Quomodo ergo, nisi te ac tua plus quam* DEVM *amas, nec ad officium tuum progagandæ & conservandæ divinæ gloriæ curam pertinere credis, teque Sacramenti illius, quo Pontifici & Ecclesiæ solenniter te devinxisti, turpiter oblitum videri parum pensi ducis, quomodo, inquam, committes ut impune isti ferant? &c.*

CAPITE V. *Neque vero ignorare, Cæsar, potes, quam seipsum Lutherus idem ingenio insedato & turbulento esse præ se tulerit &c. Cum igitur huiusmodi sit Lutheri & Lutheranismi ratio, nihil hallucinaris, Imperator, cum tibi ad Ecclesiæ defensionem armorum inducendorum necessitatem imminere suspicaris.*

CAPITE VI. Refutantur tria argumenta Granuellani moderata Consilia suadentis. *Primo, causam belli contra Protestantes movendi non esse satis justam. Secundo, fore periculosum ob hostium vires. Tertio, Deum non semper facere miracula.*

CAPITE XIII. *Finge nunc, Cæsar, Othonem Magnum Imperatorem, accepto parumper è Beatorum sedibus recedendi commeatu, propter te assistere; eumque, quid tibi adversus Principes, Eccle-*

Ecclesiarum inuasores, tibique & Ecclesiæ pariter rebelles, faciendum censeat, consule. Nimirum facere te monebit, quod ex officio debes, quodque facturum te conceptis verbis jusjurandum dedisti. Dicet, se regem Bolesoden, bello captum, nullam aliam ob causam, nisi quia à suscepta semel Ecclesia Romana fide perfidiose desciverat, in patibulo suspendendum curasse: Deoque fretum, quo id animo Reges alij accepturi forent, nihil pensi habuisse.

CAPITE XVIII. *Quod si, Cæsar, Granuellani ac similium carnis prudentia præditorum consilia secutus, Dei & Ecclesiæ inimicos parum oderis, ac dum inanem falsæ clementiæ gloriolam colligas, siue tibi ac Dei auxilio subdiffidens, aut etiam tuorum ambitioni nimium indulgens, in Hæreticos vltorem gladium stringere dubites &c. Habes cur metuas, ne Imperium ob virtutem, inprimisque pietatem, & Catholicæ fidei zelum, domui tuæ datum, ab eadem transferatur. Si vt Imperium in familia tua constabilias, plus quàm par est Hæreticorum principibus indulseris, &c.* Ibid. *Hoc memorabili exemplo monitus etiam atque etiam Imperator cavebis, ne si quando tuos ac Dei perduelles, divino ac humano jure mori jussos, in potestatem tuam redegeris, sive Clementiæ famam aucupabundus, sive inimicitias aliorum, quibus illi amicis & confœderatis utuntur, pertimescens eis parcas, & gladium in vindictam malorum tibi ab Ecclesia datum, sic feriatum geras. Cum Benadad, Rex Syriæ, prælio ab Israelitis Dei gratia victus, fugeret in Civitatem, dixerunt ei servi sui: Ecce audivimus, quod Reges domus Israël clementes sint (Quasi dicant: Pro ingenita Austriacæ domui clementia, non facile animum inducunt, ut hostes, ac rebelles suos, debitis supplicijs afficiant, sæpiusque periclitari quam semel securitati suæ consulere malunt.) Ponamus itaq; saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad Regem Israel: forsitan salvabit animas nostras. Quod cum ita fecissent, Achab, cui pulchrum ac gloriosum videretur, Regi*

capto parcere, non modo vitam ei non ademit (quamvis id unum modo rogatus fuisset) sed etiam fraternam ultro benevolentiam detulit, ac fœderatum à se dimisit. Porro lucrum, quod ex sinistra sua clementia facturus erat, his Prophetæ verbis continetur: Hæc dicit Dominus; Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua: erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.

Fœdus Imp. cum Turcis, non cum Hæreticis facere licere.

CAPITE XIX. *Quapropter, cum ijs quidem, qui valde procul à nobis sunt, & à quibus propter nimiam religionis similitudinem periculum non est, ne in errorem inducamur, tanquam cum Mahumedanis, Ethnicis, & Hebræis, fœdus tibi facere, Imperator licet: non item cum Hæreticis, qui vicini sunt. qui, quòd pleraque nobiscum habeant communia, facile nos ab avita religione ad novitates suas, carni præsertim blandientes, possunt abducere. De his prædictum est fore, ut velut spinæ evellantur universi, quas si quis tollere voluerit, manus suas armabit ferro, & ligno lanceato, igneque succensas comburet usque ad nihilum. 2. Reg. 23. Quare cum eos Deus in manus tuas tradiderit, percuties eos usque ad internecionem: non inibis cum eis fœdus, nec misereberis eorum.* Et paulò post: *Et quemadmodum Davidem de se profitentem modo audivimus, In matutino eos disperdas, tibi persuadere debes. Capite vobis vulpes parvulas (præcipitur vobis Regibus, Dei venatoribus. Ier. 16. 16.) quæ demoliuntur vineas, sive vastant Ecclesias ac Monasteria. Cantic. 2. Cur autem, dum adhuc parvulæ sunt, capi eas præstet, Poëtarum nescio quis hanc reddit rationem: quia*

Laqueo vetusta non capitur vulpecula.
Capitur quidem illa, capitur autem serius.

Primum enim viribus augentur, cum (quod fieri solet) alios, sive veri specie, sive spe prædæ objecta inescatos, in erroris & Hæreseos

Hæreſeos ſuæ ſocietatem pellexerint. atque tum exemplo erinacei illius, quem lepuſculus precibus ſupplicis delinitus in cavum ſuum receperat, legem ab hoſpite non accipiunt, & more atque ingenio ſuo uſi, Catholicos, ſi minus ſe ferre queant, exire jubent. Adhæc, quoniam multiplicantur ac liberis augentur, fieri neceſſe eſt, ut ſimul indies magis aliena concupiſcant. Nam unde habeas quærit nemo, ſed oportet habere. *Poſtremo etiam propterea fidem tibi datam non ſervabunt, qui parentibus his naſcentur, quibuscum tu fœdus facere, Granuellani monitu ſuaſuque voles: quia cum haud ipſi primum compendij quæſtusque ſui cauſa, velut parentes, ex Eccleſia exierint, ſed errorem ſimul cum lacte nutricis hauſerint; neque jam vulpeculæ, ſed verueces ſint (quamvis cornupetæ & ſatis feroculi) ac Lutheri doctrinam ſine fraude ac dolo amplexi teneant, &c. nequaquam ſibi religioni ducent, quamprimum dabitur occaſio, à pactis conventis diſcedere. &c. Idem tibi, Imperator, uſu venturum noveris, ſi cum Hæreticis & Schiſmaticis fœdus feceris, eorumque adverſus alios Hæreticos auxiliјs uſus fueris. Non enim ipſi modo de manu tua evadent; quos alioqui ſimul cum cæteris Deo fretus ſuperare poteris: ſed undique etiam bella adverſum te conſurgent: Neque ii ipſi, in quibus confiſus fueris, te quietum eſſe ſinent, quin novis ſubinde rebellionibus tibi poſteriſque tuis negotium faceſſant.*

FINIS.